

CAMBRIDGE
BINDING GUILD

RB102205



Library
of the
University of Toronto



STILLMAN DRAKE

VDK

See Opere XVI, 341

CF 144

Digitized by the Internet Archive
in 2024 with funding from
University of Toronto

https://archive.org/details/ioanbaptmorinire00mori

IOAN. BAPT. MORINI,
DOCTORIS MEDICI, ET
PARISIIS REGII MATHEMATVM
Professoris, Responsio pro Telluris quiete.

AD

IACOBI LANSBERGII DOCTORIS MEDICI

Apologiam pro Telluris motu.

AD EMINENTISSIMVM

CARDINALEM RICHELIVM,

DVCEM, ET FRANCIÆ PAREM.

Terra stat in æternum; Sol oritur & occidit. Ecclesiast. cap. 1.



PARISIIS,

Sumptibus Authoris, apud quem venales sunt;

Tum apud IOANNEM LIBERT, viâ D. Ioannis Lateranensis, è regione Auditorij Regij.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

M. DC. XXXIV.



EMINENTISSIMO CARDINALI RICHELIO; DVCI, ET FRANCIÆ PARI.

*VVLGO fertur, (*CARDINALIS EMINENTISSIME*) In magnis rebus ſat eſſe voluiſſe. Sed cùm velle liceat vnicuique, aggredi paucis, perficere verò pauciſsimis: Me tamen ex horum numero fore ſpero, in re maxima à me ſuſcepta; quippe ſolutione famoſi Problematis de Telluris motu vel quiete. Omiſſis enim ijs quæ in meæ cauſæ gratiam, acta ſunt Romæ aduerſus Galilæum, ſi hæc reſponſio ad Apologiam Iacobi Lansbergij perpendatur; non dubito quin cum illo vtcunque peruicaci omnes fateri cogantur, iam actum eſſe de Telluris motu. Meque non ſolùm pridem ſub tuis fœliciſsimis auſpicijs tantam victoriam reportaſſe, contra celebriores huius ſeculi priorumque viros; ſed nunc etiam ſub ijſdem omnino confirmaſſe. Nouum ergo laborem hunc, Tuo Nomini quoque nuncupatum*

grato (precor) animo excipiat T. E. ut quæ mihi Te fautore clementissimo peragenda supersunt, & alacriùs suscipiantur, & tanto Numine propitio fœliciùs absoluantur. Vale. Parisijs die 24. Iunij, Anno Domini 1634.

TVÆ EMINENTIÆ

Addictissimus & obsequentissimus
IOAN. BAPT. MORINVS.



IOAN. BAPTISTÆ MORINI,

DOCTORIS MEDICI, ET PARISIIS REGII MATHEMATVM PROFESSORIS, Responsio pro Telluris quiete.

AD IACOBI LANSBERGII DOCTORIS Medici Apologiam pro Telluris motu.

CAPVT I.

In quo de Apologia Lansbergij censura generalis exponitur.



TANDEM prodiit in lucem Apologia à Copernicanis tandiu optata, Iacobi Lansbergij Medicinæ Doctoris, pro commentationibus Philippi Lansbergij Patris in motum Terræ diurnum & annuum; Aduersus Libertum Fromundum Theologum Louaniensem, & me: In quâ quidem agnoscere licet vtrumque Lansbergium Patrem & Filium, sed nullum Spiritus sancti vestigiũ: Spiritus quippe pacis, charitatis, modestiæ, benignitatis, scientiæ, veritatis; spiritus enim planè contrarius singulas libri paginas occupat, adeo vt à nostris etiam Copernicanis circa suam expectationem maximè delusis, indignus responsione censeatur. Ac ego quidem libenter abstinuissem; tum quia tempore mihi pretioso ad alia indigeo: tum quia conuitiis certare loco rationum cum viro ad hoc nato

meus abhorret animus. Tandem verò respondere consensi, his conuictus rationibus. Prima quòd excusandus mihi videretur Iacobus Lansbergius, qui erga defunctum parentem falsa pietate motus, se Manibus eius egregiè satisfacturum arbitratus est, si quæcunque ille senex viuens tradidit tanquam oracula vel Prophetæ verba mordicus defenderet; omnium verò aduersariorum & scripta & famam illis sacrificaret. Secunda quòd seculum hoc nimiùm scateat vilibus ingeniis quæ conuitiis delectantur, nec veritatem contumeliis affectam pro veritate habeant; sed ei quoque tanquam figmento illudant. Tertia verò vt quid solutio nostra famosi illius problematis hactenus operata sit, quámque iam inops & misera sit Copernicanorum causa, euidentiùs innotescat.

Porrò vt in prioribus Copernicanorum libris præcipua tantùm selegi Telluris motus fundamenta euertenda: Ita & idem facturus sunt in Apologia Iacobi Lansbergij. Et Fromondo viro doctissimo quæ sua sunt defendenda relinquo; meorum enim tantùm satago. Ac propterea responsionem hanc 6 dumtaxat capitibus complectar, quorum titulis ipsius responsionis methodus patet. Hoc verò caput à me præmittitur vt quia singulos Apologiæ tractatus & capita tractatuum non discutio, saltem quid toto libro contineatur, quidque de illo censendum sit summatim neminem lateat.

Primùm ergo in Epistolâ dedicatoria conqueritur Lansbergius, quòd sui patris commentationes pro Telluris motu oppugnarim, quasi facinus illud nimium audax videatur. Sed falleris plurimùm Iacobe Lansbergi, si putes me tui præsertim Patris causâ scripsisse. Alios certè illustriores andagonistas mihi proposueram; Nempe magnum Copernicum, doctissimum Kepplerum & famosum Galilæum, cuius præcipua ratio erat fluxus & refluxus Oceani, causatus à Telluris motu in Ecliptica, ab ipso excogitata. Similiterque Kepplerus & Copernicus ad stabiliendum Terræ motum subtiles rationes inuenêre: At Ph. Lansbergius tantùm illorum rationes sibi arrogat, nihilque ex seipso protulit, nisi fortè absurdam demonstrationem scientificam motus Telluris in Ecliptica, de qua iam acturi sumus.

Siquidem in eadem epistola circa doctrinam de Telluris motu hæc habentur. *Solus ferè Philippus Lansbergius certa ac solida sectatus*

doctrinam hanc non minus conspicuam quàm certam reddidit; quia non probabiliter solùm, sed scientificè demonstrauit Terram in Ecliptica moueri.

Et pag. 122. Apologiæ hæc scripta sunt. *D. Lansbergius comment. parte 2. pag. 43. probauit per Terræ motum in Ecliptica duas stationes à se inuentas fuisse ad totum Cælum mensurandum opportunas & Astronomis hactenus incognitas.* Vt verò hoc ex suo fonte deducatur, sciendum quod postquam ipsâ pag. 43. Philippus Lansbergius gloriatus est, se per duas stationes vnâ in Terræ centro, alterâ in superficie deprehendisse Lunæ nouæ ac plenæ maximam remotionem esse 64 $\frac{1}{6}$ semidiametrorum Terræ; quantam etiam ante se inuenêre Hipparchus & Ptolemæus; indeque distantiam Solis maximam & ipsorum Solis & Lunæ semidiametros: subnectit deinde quo pacto pro dimetiendis 5 minoribus planetis, secunda statio extra Terram quærenda sit; quòd vnica tantùm statio in Terra sumi possit, ob eandem semper visionem ex centro & superficie, his omninò verbis.

Sed qua tandem ratione dimensor alio Cæli loco secundam stationem acquiret? Certè neque Hipparchus, neque Ptolemæus nec vllus veterum, modum acquirendi alteram stationem sciuêre; ideoque de mensurandis alijs planetis nullam fecêre mentionem: sed DEVS *ille O. M. qui multa nobis extremo seculo reuelauit veteribus incognita: inter alia quoque manifestauit modum dimetiendi 5 reliquos planetas per sphæram motusque Terræ. Nam Terra in sua sphæra quotidie promota, locum mutat in Cælo; vt mensori ad libitum duas stationes assumere liceat, quibus acquirat distantias planetarum.*

Cæterùm scientificam illam demonstrationem motus Telluris in Ecliptica, quam tota sua Apologiâ Lansbergius contra omnes huiusce temporis Astronomos adeo pertinaciter tuetur & summis laudibus effert nouo examini subjiciemus *cap. 3.* Nunc verò dic quæso Iacobe Lansbergi, si posthac quispiam de scientifica demonstratione motus Telluris in Ecliptica, vt de re sibi primò cognita sese scripto publico iactaret, deque duabus stationibus in Ecliptica sibi à DEO reuelatis: nonne illum intolerabilis vanitatis & furti coram Astronomis omnibus impudentissimi argueres? Atqui ante tuum patrem Aristarchus, Copernicus & Kepplerus, saltem æquè scientificè ac tuus pater, Telluris motum in Eclipti-

câ demonſtrarunt; vt conſtat eorum libris, quos vidit Ph. Lanſbergius quique nihil aliud ſonant: Et de ſtationibus in Eclipticâ ad minores planetas menſurandos etiam gloriantur, vt paſſim videre eſt in Epitome aſtron. Copernic. Keppleri; præſertim verbis expreſſis *lib.4. pag.549.* Ergo conclude tu ipſe nec ſine pudore. Quod autem dicis ſuprà, Ph. Lanſbergium probaſſe per Terræ motum in Eclipticâ duas ſtationes à ſe inuentas fuiſſe, non aduertis quid dicas, vel id ignoras: quia ſtationes ipſæ non demonſtrantur, ſed aſſumuntur ad libitum; vt patet ex tui patris textu qui inſuper gloriatur eas ſibi fuiſſe reuelatas; ſed audiamus quo fine ſequitur ergo in textu. Ph. Lanſbergij.

Attamen cùm DEVS *& natura nihil agant fruſtrà, quæret fortè aliquis cur rem tanti momenti nobis reuelauerit. Reſpondeo* DEVM *voluiſſe docere non Terram tantùm, ſed & Cœlum noſtri causâ creatum.* O doctrinam cæteris hactenus ſeculis abſconditam! ſed fieri ne poteſt vt Philippus Lanſbergius ſenuerit miniſter Goæſæ ſeptuagenarius, ignarus aliunde Cœlum & Terram noſtri causâ eſſe creata, atque ad hoc tali reuelatione indiguerit? Sed pergamus. Quandoquidem verò Ph. Lanſbergius loco citato duas ſtationes vult pro minoribus planetis, vnam in Terra, ſecundam extra Terram; dic pro illo quomodo ſumpſerit ſtationem extra Terram? Anne relictâ Terrâ procul volauit ad aliud Eclipticæ punctum? dic etiam an deſcenderit ad Terræ centrum pro Lunæ diſtantiâ menſurandâ? Videte quæſo num hi Aſtronomi ignaris & rudioribus illudere ſuſceperint. Nam ſiue Terra moueatur ſiue quieſcat, & Copernicani & Tychonici vnicam ſtationem corpoream habere queunt in ſuperficie Terræ; altera verò tantùm mentaliter ſumitur ab omnibus ex Telluris ſiue Mundi centro pro diſtantiis & ſemediametris Solis & Lunæ circa Tellurem ordinatorum: vel ex centro Solis pro diſtantiis quinque minorum planetarum circa Solem ipſum ordinatorum; quorum ſemidiametri apparentes in eorum mediâ diſtantiâ ſumuntur, dum propriis motibus in ſuo excentrico ad hominem in Terræ ſuperficie quieſcentem & obſeruantem accedunt, vt diximus *pag.29. noſtræ ſolutionis:* Cur ergo Ph. Lanſbergius ſe iactat de duabus ſibi reuelatis ſtationibus in Ecliptica, vnâ in Terrâ, alterâ extra? Adde quod in hoc etiam ſibi contradicit dũ ſuperiùs dixit. *Nam Terra in ſuâ ſphærâ quotidie promota, &c.*

Cogor

Cogor similem aliam illusionem detegere, quæ est vna è præcipuis columnis Terram in Eclipticâ sustentantibus; & habetur *cap.1. Apologiæ pag.2. ex Controuersia 1. Ph. Lansbergÿ*; nimirum. *Per Telluris quietem violari & prorsus inuerti Dei ordinem, quo voluit vt stellæ quæ minoribus sphæris continentur minori, quæ autem maioribus, maiori tempore sui motus circumuolutiones absoluant.* Sed ostendo falsissimum esse ordinem illum peruerti posita Telluris quiete. Nam eo pacto tria erunt in Mundo systemata nobis cognita, scilicet duo particularia Solis & Iouis, & alterum totale quod est Terræ. Iam verò ex Mercurio, Venere, Marte, Ioue & Saturno circa Solem ordinatis, Mercurius minorem orbitam sortitus est; ideoque celeriùs circumuoluitur, tum Venus, Mars, Iupiter & Saturnus. Ex 4 astris Medicæis circa Iouem ordinatis, Ioui propinquius etiam breuiori tempore circumfertur quàm remotius. Denique ex Luna, Sole & sphæra fixarũ circa Terram ordinatis, Lunæ sphæra minor est, ideoque mouetur velociùs quàm Sol, & hic velociùs quàm fixæ quarum sphæra stupendæ vastitatis extat, ideoque tardissimè motu proprio gyrum absoluit. Hæc autem omnia (vt ouum sua testa) continet atque ambit primum mobile toti machinæ spatio 24 horarum circumferendæ destinatum, quòd hæc diurna astrorum latio Telluri quiescenti sit omnino necessaria: sed cùm Cœlum illud stellis careat, eius nec motui nec velocitati officit ratio Copernicanorum. Nonne igitur hîc euidentissimè falsum ostenditur, quod à Copernicanis asseritur?

Sed adhuc alia non minùs absurda superest illusio Copernicanorum & Iacobi Lansbergij *pag. apol. 80.* quam alteram columnam faciunt motus Terræ; Quippe *nos ad Telluris quietem astruendam cogi multa supponere: 1. Cœlum ab ortu in occasum duci. 2. planetas præter motum sibi proprium, duos insuper habere motus; vnum cum octaua sphæra diurnum, alterum cum Sole annuum. 3. Dari inuisibilem sphæram supra sphæram fixarum. 4. sphæram omnium maximam, circumuolutionem breuissimam absoluere. 5. huius sphæræ motum adeo celerem esse, vt aliarum sphærarum motus ad eum comparati tardi sint ac quasi nulli. 6. Lunam circulum periodicè peragrare diebus 27; & duobus insuper diebus percurrere in suo proprio circulo 29 gradus. 7. Eclipticam planetarum deferentem suis epicyclis decuplo, quintuplo & sesquiplo minorem esse. 8. Saturnum longissimè à Sole situm, Solis motum comitari: Lunam contra*

ipſi deferenti hoc eſt Ecliptic æ incluſam & Soli vicinam quieſcere, nec Solis motum ſequi. 9. Naturam 13 motibus in Cælo moliri, quod diurno & annuo Terræ motu poteſt: Hæcne Tibi tuoque Patri ſufficiunt, Lanſbergi? Dic plura. Ex his verò ſextum à te malè refertur; octauum autem & nouum falsò Tychonicis imponuntur. De cæteris verò miror quomodo nec tu nec tuus Pater nec vllus Copernicanorum aduerterit vel aduertere voluerit Tychonicos duo tantùm principia ſupponere. Primum aſtronomicum, quippe Terram in Mundi centro quieſcere. Secundum phyſicum, nempe vni corpori vnum per ſe motum competere. Ex quibus reliqua omnia ſuperiùs verè relata deducuntur. Nonne nobis liceret à ſimili aſſerere totidem à vobis ſupponi? ſed quia etiam conſequi deprehendentur ex Solis ſitu in Mundi centro, & Telluris motu in Ecliptica, quid fruſtra tempus teremus, & ignaros vt facitis ſeducemus? vides hîc candorem meum & ſolius veritatis amorem, qui ſi etiam inſit Copernicanis, neſcio quâ cæcitate horum ingenia detineantur, quominus ſuarum rationum tam euidentem futilitatem intueri nequeant.

Porrò notanda venit Iacobi Lanſbergij inſignis peruicacia toto ſuæ Apologiæ decurſu; qui in Patris ſcripta adeò ſtrictè iurauit, vt ne latum quidem vnguem ab vlla eius opinione Phyſica, Aſtronomica & Theologica vtcunque falſa poſſit vllius viri docti ratione dimoueri: quinimo contra rationes validas illi deficiente ratione, ad conuitia, ſcommata & contempus adeo ſæpe recurrit, vt hiſce tota eius Apologia fœteat.

Hæc verò me nequaquam mouent; non enim vanæ famæ comparandæ, ſed veritati addiſcendæ atque tuendæ ſolùm incumbo: Mouet autem maximè quod nequidem Tycho vir nobiliſſimus totoque Terrarum orbe celeberrimus Aſtronomiæ inſtaurator, ab atrocibus calumniis liberetur; ſed turpiter ab ipſo Lanſbergio tractetur ſiquidem Lanſbergius *in Apolog. pag. 87.* circa rationes pro Telluris motu vel quiete ſic Bartholinum alloquitur. *Deſine igitur, Bartholine, Lansbergij ineptiam mirari, ſed craſſi ingenij tui ſtuporem hîc potius agnoſce atque imprimis Tychonis tui inſignem vanitatem. qui licet in alijs vt Aſtronomus ſe geſſerit, hic tamen poëtico auſu quoduis finxit; certa atque incerta aſſumens, veriſimilia abſurda, vera & falſa præſupponens, modò cum ſuis conceptibus conſentirent.* Ex

quibus modeſtiæ ſpeciminibus ingenuos & cordatos viros decet conjicere, quo ſpiritu illi agantur, qui omnibus antiquis & Neotericis Aſtronomis, Philoſophis & Theologis perperàm conantur anteponere vnicum Ph. Lanſbergium; qui Copernici, Tychonis, Longomontani, Keppleri, & aliorum inuenta tanquam ſibi propria arrogauit. Sed hæc à pace charitate & modeſtia penitus aliena, vilibus ingeniis relinquantur, & deinceps ad rem propoſitam ſeriò accingamur.

Si Lanſbergio veritatis cura fuiſſet, in capitibus 4.5. & 6. mei libri pedem fixiſſet, vbi meæ ſolutionis iacta ſunt duo inſignia fundamenta ante me à nullo expoſita. Primum *cap. 4.* ſacras litteras longè certiùs euidentiúſque Telluris quietem quàm motum aſſeuerare, (quod etiam fatetur Ph. Lanſbergius, *Comm. p. 11.*) proteruis tamen conuincendis minimè ſufficere. Secundum *cap. 5.* Rationibus aſtronomicis hactenus demonſtrari non potuiſſe, an Tellus quieſcat vel moueatur; & demonſtro *cap. 6.* cur illud demonſtrari nequeat. Contra quæ fundamenta nequidem verbulum auſus eſt effari Iacobus Lanſbergius; quinimò ipſe *pag. 5. ſuæ Apologiæ*, meam demonſtrationem capitis 6. approbat. Cur ergo tantùm temporis perdis inutiliter, tibi ſcribendo & aliis legendo quæ contra Fromondum & Bartholinum circa ſcripturarum explicationem & cœleſtes apparentias ex Telluris motu ſequentes accumulaſti? Eo nimirum ſolo fine, vt omnium etiam minimorum tui patris dictorum egregius defenſor habereris: & tua Apologia in 6. tractatus proëmiis pluribuſque capitibus diſtinctos excreſceret; alioquin enim nimiùm tenuis in lucem prodire coacta fuiſſet: Certè quandoquidem *pag. 106. tuæ Apologiæ* fateris me veterum argumentis minimè fidere, quæ etiam ſupradictis capitibus 4. 5. & 6. omnino reſpuo, longè meliùs, breuiúſque Fromondo & Bartholino ſatisfeciſſes 20 tantùm lineis ex meis capitibus 4. 5. & 6. quàm tota tua Apologiâ feceris, niſi vidiſſes capita illa tuo calculo ad amuſſim non quadrare; ob tui Patris demonſtrationem ſcientificam toties decantatam quæ ibidem ſcientificè conuellitur. Hoc autem pacto tibi tantùm ſuperfuiſſent oppugnandæ ratiunculæ (vt ais) à me excogitatæ, quod quàm ſtrenuè feceris, patebit inferiùs.

Porro Iacobus Lanſbergius librum meum refutaturus non ſo-

lum vitauit capita ſupradicta 4. 5. & 6. tanquam ſcopulos ſcopo ſuo periculoſos: Sed Copernicanorum argumenta à me ſoluta de interſectione orbitarum Solis & Martis, de Epicyclis Eclipticâ deferente maioribus: de axe motus diurni; de motuum compendio per Telluris motum: de ſyſtemate Solis circumgeſtantis 5. planetas: de Telluris motrice vi ab anima vel ſpecie ſolari: de eiuſdem Telluris virtute tractrice grauium; De fluxu & refluxu Maris, & alia præcipua à me ſelecta quibus ipſi Tellurem circumuolui opinantur; & circa quæ noſtri Copernicani quid egregium à Lanſbergio expectabant; ipſe ne quidem verbulo auſus eſt defendere, ſed tantùm aliqua à ſuo patre adducta, nec adhuc omnia. Rationes autem meas quas ſibi propoſuit refellendas, aut falſificat, aut truncat, aut ſine ratione ſimpliciter negat; non ſecus ac multa ſine ratione ſimpliciter aſſerit; vultque ſibi credi vt alteri Pythagoræ, vel vt Caluino credit, quem toties pro ſuo nobis obtrudit, quaſi eius authoritate nos vellet obruere; dum interim Pontificum & Cardinalium noſtrorum ridet authoritatem. Sed vtinam ſaperes & intelligeres (mi Lanſbergi) & nouiſſima prouideres: Etenim cerneres quot ſectæ atque hæreſes in Eccleſiam Catholicam à CHRISTI tempore inſurrexerint, quæ omnes ab ipſa Eccleſia condemnatæ perierunt cum ſuis authoribus atque ſectatoribus; ipſa Eccleſiâ Catholica ſtante vſque ad conſummationem ſeculi iuxta CHRISTI promiſſum: indéque prudenter conijceres, idem tandem futurum de ſectis Lutheri & Caluini nouiſſimorum; qui cùm eſſent vnius eiuſdémque nobiſcum fidei, imò viri Eccleſiaſtici, ſeſe ab Eccleſiæ veræ trunco, deindéque ab inuicem ſeparарunt voſque miſerè ſeduxerunt; Et in Terra atque Mari motum turbulentiſſimum excitarunt, qui adhuc hodie cum veſtrûm & noſtrûm cruenta & deploranda ſtrage perſeuerat. Quæ certè ratio homini vtcunque prudenti, & diuinum lumen minimè reſpuenti, ad perfectam reſipiſcentiam ſufficeret; Tibique pro tua & tuorum ſalute obiter expoſita, charitate non ficta, vtinam proſit.

Tandem hoc non videtur omittendum quod etſi Lanſbergius in ſingulis ſuæ Apologiæ tractatibus imò capitibus nihil efficiat quod pro ſuâ cauſa valeat, tamen paſſim ſuas ſententias concludit verbis Mathematicis, *quod erat demonſtrandum*; & cum maximo

Fromondi meique contemptu valde gloriosum sibi canit triumphum : sed fallitur si inde sibi soli risum commouisse putauerit.

Subductis igitur rationibus de vniuersâ Lansbergij Apologia censeo, meliùs illi fuisse si hæc in lucem non prodiisset : non enim cogerer eius pertinacem ignorantiam circa Ph. Lansbergij scientificam demonstrationem pro Telluris motu in Eclypticâ (quâ solâ innititur) luce meridiana euidentiorem facere : eius erga Tychonem inuidia & animus ad conuitia & calumnias pronus non innotuissent : nec à suscepta Telluris motus defensione posthac inuitus desistere cogeretur.

CAPVT II.

In quo examinantur responsiones Lansbergij, ad meas solutiones argumentorum, à Copernicanis propositorum : maximè verò scientificæ demonstrationis Ph. Lansbergij.

EX plurimis Copernicanorum argumentis à me solutis quinque tantùm defendenda selegit Lansbergius, quasi imbecilliùs suo quidem iudicio soluta : pro reliquis verò, etsi præcipuis Copernicanorum fundamentis, nihil omnino ausus est respondere. Quàm autem verè ac ingenuè responsiones meas retulerit, doctéque refellerit expendamus.

Primùm ergo cùm ad argumentum Copernicanorum desumptum à compendio motuum & apparentiâ phœnomenôn, respondissem pag. 37. meæ solutionis. In Mundi fabrica & globorum situ atque motu, non solam fuisse DEI intentionem homini repræsentare apparentias motuum : sed primariam eius intentionem fuisse, innumeram specie & indiuiduis generationem in globo terrestri, cuius idcirco situs in vtero siue centro Cœli generatorum omnium parentis erat omnino necessarius. Lansbergius in sua Apologia *pag. 4.* totum textum meum falsificat : vbi enim inuenies, Lansbergi, hanc sententiam à me scriptam? *Primò vtilis & necessaria homini futura erat multarum rerum generatio in Terrâ?* Vbi

hanc alteram; *quæ omnia fieri non potuissent nisi* DEVS *hominem in quiescenti Terra collocasset?* quasi DEI omnipotentiæ limites etiam in rebus naturalibus fuerim ausus præscribere? Ideo autem & hîc & in sequentibus falsificas, vt tibi respondendi viam aliquam aperias; est enim alia vis meis verbis, quàm tuis falsò additis aut suppositis. Videamus autem quid respondeas. Dicis ergo, *multarum rerum generationem in Terra contingere posse siue Terra, siue Cælum moueatur, quia Cæli & Solis influentiæ quæ per diurnum motum distribuuntur, eodem modo Terram attingunt siue hoc, siue illud fiat.* Sed quàm falsa sit tua responsio probatur ex ipsomet Kepplero *lib. 4 Astr. Copern. pag. 448. vbi ait quod Sol æquabiliùs & rectiùs totum Mundum sphæricum illuminat in centro, quàm circa illud circumeundo in Ecliptica:* Nam à contrario sequitur quod Tellus in ipso centro æquabiliùs & rectiùs afficietur quàm extra, ideoque non eodem modo, siue hoc siue illud sit, vt asseris. Vide infra *cap. 3.* defensiones meorum argumentorum astrologicorum, vbi agitur de influentijs. Præterea generationes elementales non tantùm causantur à planetis & sphærâ fixarum; sed præcipuè causantur à primâ causâ Phisica, seu virtute primi Cœli in dodecatemoria distributi, vt conuincunt inexpugnabiles rationes & experientiæ astrologicæ, de quibus fusiùs infra; quod tamen Cœlum à Copernicanis & tuo præsertim Patre *pag. 102. progym.* & à Te ipso *pag. 6. & 7. Apol.* negatur & exploditur. Patet ergo Te de influentijs cœlestibus respondentem eas ignorasse, ac modum agendi corporum cœlestium, vt constabit euidentiùs sequenti capite.

Quod verò ais *nauium motum & leuium grauiumque ascensum & descensum se habere eodem modo siue Terra moueatur siue quiescat*; neque id eò loci demonstrasti, neque alibi demonstrabis vt patebit in sequentibus.

Denique ad 4 argumenti membrum, contra quod ais *fieri non posse vt ex diurno Terræ vel Cæli motu, contemplatio Cæli & Cælestium motuum, homini vel commodior vel incommodior reddatur:* debebas igitur diluere rationes à me circa hoc allatas contra Kepplerum pag. 29. & 30. solutionis meæ, quibus tantùm ostendebam falsum esse quod aiebat Kepplerus; hominem meliùs in Eclipticâ locari ad dimensionem & contemplationem siderum, quàm in Mundi centro: quas rationes intactas proindeque in suo valore

ſubſiſtentes reliquiſti: Nec tibi prodeſt Ariſtoteles 2. de Cœlo cap.8. minúſque mea demonſtratio cap.7. Nam hæc equidem valent pro identitate apparentiarum in vtroque ſyſtemate; non autem pro maiori, minori, vel æquali commodo contemplantis, vnde conſtat te reſpondendo tempus inutiliter terere, nec pro tua cauſa quidquam efficere.

Secundum argumentum defendendum à Lanſbergio ſelectum eſt iſtud. Pag.39. ſolutionis meæ, Origano & Kepplero dicentibus Cœlum & Solem moueri, Terram autem quieſcere, perinde eſſe, ac ſi coquus ineptus carnem veru fixam vertere dedignatus, ignem potius circa carnem circulo circum ageret vel (vt vult Ph. Lanſbergius) ac ſi mater liberis inuoluendis intenta præpoſterè ignem circa illos circumuerteret. Reſpondebam hâc legitimâ quæſtione; ſi Copernicani perabſurdum putent Solem moueri circa Terram & non potiùs hanc breuiſſimè circumuolui in conſpectu Solis; immobilis cur non idem dicetur de Terra & Luna vel cæteris planetis, quos tamen circa Terram & huius gratiâ moueri concedunt? Ad hanc verò quæſtionem reſpondet Lanſbergius, *id non fieri, quia fieri nequit: inuiolabilis quippe impoſsibilitatis neceſsitas hîc impedimentum ponit*. Sed quænam eſt hæc impoſſibilitatis neceſſitas? *Quia* (inquit Lanſbergius) *Terræ motus dari vel deſcribi nequit, qui Lunâ quieſcente omnes apparentias nobis exhibeat in Cœlo, quas Luna motu ſuo conficit*. Sed vt pateat quàm Philoſophica & Mathematica ſit hæc tua reſponſio, quámque profundè in ea reddenda Copernici thema contemplatus fueris, ſcito quod ſi Luna in quouis Eclipticæ puncto eſſet immobilis, Tellus autem motu diurno & menſtruo circumferretur in orbita Lunæ; apparerent omnes eius cum Sole Sizygiæ ipſiuſque Lunæ motus ſub Zodiaco: Si vero Luna inſuper annuo motu ferretur in Ecliptica; omnes eius etiam coniunctiones, oppoſitiones & quadraturæ cum Sole in ſingulis ſignis apparerent, vt hæc omnia nunc apparent; nec propterea in vtrouis caſu Luna circa Terram volueretur, quod tamen aſſeris impoſſibile. Vides ergo cœleſtes apparentias multifariam eſſe poſſibiles, idque fatentur omnes Aſtronomi. Ac propterea abſurdum eſſe opinari primariam DEI intentionem in Mundo ordinando fuiſſe cœleſtes apparentias exhibere, & potius oculorum ſpectantium, quàm rerum generandarum neceſſitatis rationem habuiſſe.

Tertium argumentum eſt iſtud. Pag. 31 & 32 ſolutionis meæ negabam Ph. Lanſbergio impoſſibilitatem motus primæ ſphæræ ob eius magnitudinem. Cúmque Sol & Terra ſint corpora mobilia ex Copernicanis; quærebam ab illis, vt determinarent ad quam vſque molis quantitatem pro corporis motu liceat aſcendere, & vltra quam corpus mobile non ſit amplius mobile, huiuſque cauſam aſſignarent. Ad hæc verò maximè vrgentia nihil omnino reſpondet Iacobus Lanſbergius; Verba verò ſequentia mihi imponit. pag. 10. *Sed inſtat Morinus atque pag. 31. 32. & 70 expreſſè innuit: celerem motum octauæ ſphæræ, celeritatis ſuæ cauſa non magis abſurdum videri debere & Naturæ contrarium, quàm magna & immenſa illa vaſtitas quam Copernicani ſtellis fixis & ſphæræ ſtellarum fixarum tribuere coguntur.* Verùm neque hæc verba nec ſententiæ illis expreſſæ vſquam habentur in illis paginis, ideoque te inſignem ſcripturarum falſificatorem hîc prodis. Dixiſſem minùs abſurdum, non autem non magis abſurdum. Eo autem libentiùs te falſarium appello, quòd paſſim talem te præbeas, illudque vitium in me retorquere nequeas, qui in tuo aliorumque textu referendo ſum ingenuus & fidelis, nec pro veritatis defenſione vllâ indigeo falſificatione, infœlici patronâ falſitatis.

Videamus autem quid & quàm aptè reſpondeas ad illa verba conficta: Dicis ergo *Me non rectè perpendiſſe Naturam in augmentandis magnorum corporum dimenſionibus, proportionaliter in immenſum progredi: in motibus etiam celerrimis proportionaliter accelerandis, non ita progredi: quam ob cauſam Mundi illa vaſtitas* DEI *& naturæ operandi modo conſentit: Contra motus celeritas octauæ ſphæræ ab eo diſſentit plurimùm.* Sed primò hæc ſunt aliena à quæſtione ſuperius à me facta; nec eam attingunt, multò minùs ſoluunt. Deinde ais *Naturam in augmentandis corporibus proportionaliter progredi in immenſum, non autem in motibus accelerandis*; Sed hoc minimè probas, neque cur non poſſit in motibus eodem modo progredi; viſque tibi credi cæca fide vt tuo credis Caluino. Denique falſum eſt quod aſſeris. Nam ex ipſa tui Patris Vranometria (quam ſaltem circa hoc conſulere debuiſſes) Luna eſt minor quàm Terra vicibus $45\frac{11}{20}$: Mercurius vicibus 12: Mars 8; Venus $3\frac{1}{2}$: Iupiter autem maior eſt Terrâ vicibus $25\frac{2}{3}$: Saturnus $46\frac{2}{3}$; Sol 434. At ſtella fixa ſexti ſiue minimi ordinis maior eſt quàm ſphæra Terræ ſeu corpore cuius circulus maximus

ximus

ximus eſt magnus orbis vicibus 11 $\frac{1}{2}$; ſtella quinti ordinis, vicibus 92. &c. ſed inter has dimenſiones nulla eſt proportio arithmetica, geometrica vel harmonica; quid igitur de tota tua reſponſione cenſendum ſit omnes iudicent.

Ad mea verò verba pag. 31. maioris eſſe potentiæ Cœlum ex nihilo creaſſe, quàm illud mouere quantæcunque ſit finitæ magnitudinis. Reſpondes pag. 10. *Cœlum ex nihilo creare, abſolutum* DEI, *non Naturæ aut creaturæ alicuius opus eſſe: Cœlum autem quotidie mouere, non abſolutum* DEI, *ſed creaturæ & Naturæ opus eſſe; proindeque quia relictis ordinarijs Naturæ operandi modis omnipotentiæ diuinæ mantello me defendere cogor, me cauſam meam prodere:* Sed vel in textu meo legendo oculi, vel in eo intelligendo mens tibi defuerunt. Nam dum ibidem aſſero Cœlum moueri poſſe vel à ſeipſo ſi DEVS illi congruam vim motiuam dederit (quod poteſt) vel ab Intelligentia proportionatæ virtutis; vel à DEO ſolo illius volente motum, relinquo ne ordinarios Naturæ operandi modos vt falsò aſſeris? O quàm turpiter tua cauſa à te defenditur! Et quàm malè etiam legiſti vel intellexiſti Commentationes tui Patris pag. 41. vbi ſuas exponẽs pro Telluris motu pias meditationes (quibus enucleãdis puderet immorari) de Telluris cauſa motricè ſic loquitur. *Ipſe ergo* (DEVS) *ſolus eſt qui ſtabilit Terram, & filios hominum manu geſtans, piæ matris inſtar ab omni incommodo tuetur & conſeruat.* Et paulò poſt. *Et hinc quoties cum Terra ad Solem circumuoluimur, cogitandum eſt* DEVM *nos vlnis geſtare & piæ matris inſtar Soli tanquam luculento foco obuertere.* Hîc ergo Pater Tuus DEVM agnoſcit pro vnico motore Telluris; quam meis ratiunculis coactus es fateri pag. 27. te ignorare à quâ cauſa moueatur.


Sed pergamus ad quartum argumentum ſedulò aduertendum. Pag. 52 ſolutionis meæ Reſpondebam Kepplero & Mæſtlino quærentibus qua ratione fieri poſſit vt toto Mundi ſyſtemate circumagitato, vnicus Terræ globulus non vnà circumrapiatur; quod etiam impoſſibile eſſe ait Ph. Lanſbergius pag. 103. progym. Atq; dicebam Terram ex ſe corporum omnium maximè repugnantem motui circulari (vt fatetur ipſe Kepplerus) iure in eum Mundi locum ablegatam fuiſſe, vbi non ſolùm minimè viget, ſed etiam deſinit mundanæ machinæ motus circularis. Reſpondet autem Iacobus Lanſbergius, *Hoc dato & non conceſſo, non ſequi tamen in eo loco*

motum octaui Cœli ex sua natura desinere. Nam in omnibus sphæricorum corporum motibus partes omnes à summo vsque ad imum mouentur solo mathematico centro excepto, Terra autem non est tale centrum.

Verùm quia Lansbergius sumit Mundanam machinam pro vnico globo sibi continuo, cùm tamen sit congeries plurium globorum & diuersarum specie regionum sibi superpositarum ac tantùm contiguarum, patet inde responsionis eius absurditas.

Subiungit Lansbergius, *sed inquit Morinus in sphæricorum corporum motibus partes à centro remotiores celeriùs, centro autem viciniores tardiùs mouentur. Ergo circa mundanæ machinæ centrum, motus totius Cœli ex sua natura elanguescit & terminatur.* Non sic concludo Lansbergi, nec ea conclusio nec eius deductio in meo textu reperiētur. Antecedēs enim à te truncatum, enunciatur à me de globo continuo contra Kepplerum, volentem motum Telluris globi continui esse à centro: consequentia autem à te conficta intelligitur de Mundi machina sibi non continuâ; atque idcirco quæ rectè disiunxi, malè copulasti. Vnde constat te passim textum meum falsificare; alterum in hoc fortassis falleres, me autem fallere non potes; meus enim & loquendi & ratiocinandi modus mihi nimiùm innotescit, doleoque plurimùm quod cùm meam synceritatem commendaueris, par tibi referendi omnem ansam mihi adimas. Sed quid respondet Lansbergius ad hæc à se contexta? Ecce eius verba. *Respondeo partes æquales centro viciniores tardiùs quidem moueri: proportionales autem æquè velociter ferri tam circa centrum quàm in ipsa circumferentia: Ac proinde falsa est Morini collectio quâ contendit motum mundanæ machinæ versus centrum simpliciter elanguescere, vt sequens diagramma ostendit.*

Sint, inquit, *in adiuncto schemate in mobili sphæra tres circuli concentrici, qui simul moueantur circa centrum A. F in G moto, D in E mouebitur & B in C* (debebas igitur addere eodē tēpore:) *Atqui FG, DE, & BC sunt partes seu arcus proportionales, Ergo vt ex adiuncto diagrammate patet partes proportionales paruorum & magnorum circulorum in vnicâ sphæra æquè velociter mouentur, neque istorum circulorum motus, vt Morinus contēdit, simpliciter elanguescunt. Et per consequens octa-*



ua sphærâ mota à puncto F in G, sphæra Lunæ à puncto D in E fertur; & Terræ ambitus à puncto B in C. quod erat demonstrandum.

Sed quid demonstrasti Lansbergi? Nil certe aliud quàm tuam inscitiam & valde crassam. Nam ex Aristotele in Physicis ea dicũtur æque velociter moueri quæ eodem vel æquali tẽpore æqualia percurrunt spatia: Atqui si angulus FAG ponatur esse 6 graduum arcus BC in superficie Terræ, valebit sub Æquatore 90 milliaria germanica: arcus DE in sphæra Lunæ & minima eius plenæ distantia, valebit 4860 milliaria, arcus autem FG in sphæra fixarum valebit 168168 168180 milliaria germanica, ex tui quoque Patris Vranometria: suntne hæc æqualia spatia, mi Lansbergi? Nonne vides quod cùm hi tres motus fiant eodem tempore, motus est velocissimus in sphæra fixarum, longè tardior in DE, & tardissimus in BC? quodque homo vnâ horâ percurrens vnam leucam dici nequit æque velociter moueri, ac alius qui eadem horâ percurrit 1000000 leucas? proindeque Mundanæ machinæ motum à superficie versus centrum elanguescere vt superiùs asserui?

Præterea si tuum schema esset de vno tantùm globo continuo, verum quidem esset partes omnes proportionales (vt vocas) à superficie ad centrum eodem tempore eundem angulum peruadere; at de schemate diuersorum corporum sibi tantùm contiguorum falsum est. Dic mihi an dum pileum tuum circa tuum caput conuertis à parte postica ad anticam, etiam similiter caput tuum conuertatur? Posset tamen valere demonstratio mea de systemate diuersorum corporum sibi tantùm contiguorum, sed arctissimè compactorum miniméque fluidorum; at si adfuerint corpora fluida atque cedentia, hæc densa miniméque fluida sibi subiecta in sui motus consortium non pertrahent; quod patet de Aëre & Aquâ circa Terram subiectam expansa; quæ quia fluida sunt, circa illam fluunt, nec eam circumferunt; ideoque in Terræ superficie desinit mundanæ machinæ motus.

Certè longè verisimilius est istud argumentum cuiusdam nostratis Mathematici. Rationibus mechanicis omnibus repugnare vniuersam Mundi machinam ad Terram vsque circumferri, Terram autem in centro quiescere: quòd nimirum eâ in æquilibrio posita, necesse sit ipsam à minima vi circumstante impelli & circumferri.

At ego breuiter reſpõdeo. Rationes mechanicas ſiue mathematicas & experientias phyſicas ſibi ad amuſſim non ſemper congruere. Conſtat enim quod ſi in magnis lancibus mercatorum duo appendantur pondera in æquilibrio, ſecundum rationes mechanicas addendo vni eorum vnicum granum vel duo grana deberet inferiùs deſcendere, æquilibrio interrupto: quod tamen nequidem fiet additâ dragmâ integra, & tamen in minimis lancibus fieret contrarium. Sic ergo quamuis vniuerſa Mundi machina ad Terram vſque circumferatur, vt ex Aëre quoque infimo euidentiſſimè patet ſub Æquatore: Tamen quia vt ſupra oſtendimus motus prope Terram eſt languidiſſimus, ideoque ſolùm perceptibilis ſub Æquatore maxima mundi vertigine: ac præterea Aër Terræ contiguus eſt naturæ omnium tenuiſſimæ & fluidiſſimæ; hinc fit vt vis eius languida ad pondus Terræ ſtupendum comparata, minùs adhuc poſſit quàm dragma vna in ſupradictis ponderibus: Eſtque multò mirabilius cur Oceanus ſuo fluxu atque refluxu Telluri motum reciprocum non conciliet; cuius tamen vim ad illud inſufficientem eſſe, quòd fluidus ſit neceſſariò dicendum eſt.

Iam verò tempus adeſt ſeriò examinandi ſcientificum Ph. Lanſbergij argumentum, à Iacobo Lanſbergio toties in ſua Apologia in laudem ſui patris decantatum. Id verò paucis facturus ſum quamuis Lanſbergius toto tractatu quarto mirè ſe torqueat vt illius argumenti veritatem perſuadeat; quid enim pluribus opus eſt vbi pauca ſufficiunt? Pudore autem imprimis confundor pro vtroque Lanſbergio Patre & Filio, idque duabus de cauſis. Prima quòd impudenter glorientur de inuentis Copernici & Keppleri, qui Telluris motum in Ecliptica primi demonſtrarunt æquè ſcientificè ac Ph. Lanſbergius. Secunda quòd quamuis vndequaque & verbis & ſcriptis de demonſtrationis abſurditate moneatur & conuincatur Lanſbergius; pertinaciſſima tamen ignorantiâ illam tueri & extollere non deſinit in ſua Apologia.

Primò igitur Philippus Lanſbergius pag. 18. ſuarum commentationum in Terræ motum demonſtrare nititur: *quod ſi iuxta Ptolemæum & Tychonem Terra ponatur immobilis in centro, & Sol mobilis in Ecliptica; Lunæ motus Cælo vel apparentijs congruus inde oſtendi nequeat.* Cuius demonſtratio eiuſque mea refutatio habentur pag. 16. meæ

Solutionis, idemque asserit Iac. Lansbergius pag. 69. In ipsa autem refutatione ostendo Philippum Lansbergium supponere falsum: quippe Lunam ab vno nouilunio ad aliud, vnicam tantùm absoluere gyrationem in proprio orbe, tantúmque redire ad idem sui orbis punctum in quo fuerat præcedenti nouilunio. Ex quâ falsâ suppositione sequitur Ph. Lansbergij falsa conclusio. Tibi verò Iacobe Lansbergi probandum nunc erat, tuum patrem vel id non supposuisse, vel saltem non falsò, sed rem sic se habere. Horum verò nihil effecisti: imò in tua Apologia eandem cum patre supponis falsitatem; tanta est tua cæcitas dum me in hoc præsertim tractatu 4. ignarum, momum, excæcatum, sciolum, incredulum, nugatorem & aliis nominibus appellas; nec me Patris tui argumentum intellexisse asseris: Illud ergo tibi probandum remanet.

Posthæc verò Ph. Lansbergius pag. 19. suam struit demonstrationem scientificam motus Telluris in Ecliptica, quam hæc verba præcedunt. *Restat probandum alterum; scilicet Lunæ motum in Zodiaco exactè conuenire cum eo quem in suo orbe & Sol in Ecliptica peragit, si* (Notate) *Terra circa Solem mobilis, isque in Mundi centro immobilis statuatur. Rei veritas manifesta erit ex sequenti figura, &c.* Quamuis autem ex illis duobus tantùm suppositis, conclusionem suam nequeat Ph. Lansbergius deducere; sed insuper tria supponat vel assumat, nempe Terram percurrere in Eclipticâ singulis lunationibus 29. gra. 6′. Secundò Lunam simul cum Terra per Eclipticam incedere in Epicyclo. Tertiò Lunam ipsam singulis lunationibus sui Epicycli totam peripheriam siue 360 gr. exactè peragere. Tamen concessum est Copernico, Kepplero, & iterum cōceditur Lansbergio, quod ex illa totali hypothesi ostendi potest Lunæ motus Cœlo vel apparentiis consentaneus. Quod autem ex hypothesi Terræ in centro Mundi quiescentis æquè consentaneus ostendi nequeat, sed per solum Terræ motum in Ecliptica, vt ait Iac. Lansbergius pag. 67. 71. 73. 76. 77. &c. est falsissimum: tantúmque abest vt Lansbergius id ostendi non posse probauerit, quin potiùs fateri cogitur pag. 73. 76. & 78. *ex hypothesi Terræ quiescentis fingi posse causas Lunarium apparentiarum; neque id negasse Ph. Lansbergium, neque vnquam in dubium vocasse, neque sua demonstratione impugnasse*; quod rursus est falsissimum, cùm id sua falsa demonstratione directè impugnauerit, non autem expugnauerit,

Nec aliquæ tantùm redduntur causæ apparentiarum ex hypothesi Terræ quiescentis vt ais perperam pag.73; sed omnes vt luculentissimè etiam testatur Kepplerus lib.6. Astr. pag. 749 his verbis. *Omnia hæc & singula sequuntur sanè etiam ex hypothesi Brahe, &c.* Nec etiam finguntur vt passim asseris, sed desumuntur ex sacra scriptura, cuius locum explicaui pag.138. meæ Solut. à te nequidem tentatum: Ex Aristotele, Ptolemæo, Tychone cæterisque omnibus rectè philosophantibus; tandemque à rationibus & experientiis physicis, quas quàm egregiè dilueris (quod iactas) patebit infra. Ex quibus omnibus constat in hoc saltem verum dixisse Ph. Lansbergium Comm. pag. 1. & 2. *Sphæras Ptolemæi & Copernici quoad apparentias non magis inter se differre, quàm viam quæ Athenis Thebas ab ea quæ Thebis Athenas ducit; nec sphæram Copernici alias à Ptolemaica in Cælo exhibere apparentias*; cuius tamen deinde contrarium sua falsa demonstratione suppositâ conatus est ostendere, tam benè bonus ille senex sibi constabat. Tu verò eius dignissime fili, ineptè ais me locum illum appositum pag.14. meæ Solut. non intelligere, quasi difficultatis aliquid inuolueret: & quia illum in tuum patrem efficacissimè retorqueo nec te potes ab eius veritate expedire, impatientiâ & bile succensus ais me μωμεῖσθαι: Et pergis hisce verbis. *Ipse enim Lansbergius loco à te citato seipsum satis explicat; discrimen enim ponit vtriusque sphæræ, verbis quæ tu pro tuo candore dissimulasti, scilicet Astronomiam Ptolemæi multùm differre à Copernicea, quòd illa speciem, hæc præter speciem, rem ipsam præbeat conspiciendam.* Falleris Lansbergi, nec tui Patris scripta intelligis, vel saltem dissimulas. Siquidem verba hæc non apponuntur ad explicandum locum supradictum, sed ad reddendam rationem cur Copernicus hypothesibus Ptolemæi reiectis suas substituerit, manente apparentiarum paritate: videatur locus integer pag.2. Comm. & quis nostrûm peccet ignoratione Elenchi. Imò ex iisdem verbis omnino confirmatur locus supradictus; quippe Astronomiam Copernici & Ptolemæi in hoc conuenire, quòd vtraque speciem rei (hoc est easdem apparentias) præbeat conspiciendam, idque certe concedo, & à te quantumuis inuitò concedatur oportet: At quod Copernicea præter speciem, etiam rem ipsam (hoc est motum Telluris in Eclipticâ) præbeat conspiciendam: id nego tibique probandum est. Hucvsque paulò fui prolixior vt caliginem & nebulas

omnes discuterem, quas in fauorem demonstrationis scientificæ nititur offundere Lansbergius, illiusque fucum extergerem; sicque illa coram rationis Sole conspicua, primo intuitu falsa deprehenderetur.

Igitur postquam Ph. Lansbergius demonstrare conatus est, quod posita Terrâ quiescente in Mundi centro, non sequatur inde Lunæ motus Cœlo consentaneus (quod tamen tantùm abest vt demonstrauerit, quin potiùs sibi omnino multoties contradicit dum asserit cum Kepplero sphæram Copernici non alias à Ptolemaica vel Tychonica exhibere apparentias.) Demonstrauit autem quod posito Terræ motu in Eclipticâ, sequatur Lunæ motus Cœlo consentaneus: sic deinde quasi delirando concludit. *Nam cùm ostenderimus Lunæ motum non esse Cœlo consentaneum, si Terra in Mundi centro quiescat. Esse autem, si motus ei in Eclipticâ tribuatur; necessariò sequitur non Solem moueri, sed Terram, eumque esse in Centro Eclipticæ, non hanc, quod erat demonstrandum.*

Ecce illius senis demonstrationem scientificam à Iac. Lansbergio toties inculcatam: quæ solis etiam Logicæ tyronibus nuda exposita, falsitatis conuincetur, quippe quòd falsum assumat, imò à demonstrante negatum, nec alia indiget refutatione, vtcunque Iac. Lansbergius per suos tractatus & capita sese torqueat verbaq; perdat. Insuper verò quis non videt illam non esse minùs circularem, quàm Telluris vestrum motum in Eclipticâ? Quippe ex Telluris motu in Eclipticâ ostendit Lunæ motum Cœlo consentaneum, deinde ex hoc motu consentaneo concludit atque demonstrat illum Telluris motum, quod rursus est mera petitio principij: cùm tamen omnis legitima demonstratio rei, fieri debeat ex veris & notioribus conclusione huiusque causis; quod quidem fateris pag. 87. hîc verò non obseruas. O fœlices igitur Belgæ quibus licet pro tam patulis nugis de vestrorum illustrium Ordinum heroïca liberalitate gloriari, quod nonnullis pro ipsa veritate non licet? Tandem aliquando ab inani laude illius scientificæ demonstrationis cessate & ingeniorum vestrorum caliginem excutite; vt videatis quantùm illa differat à demonstratione Eclipsium, cui ipsam comparatis.

Cæterùm respondeamus Iacobo Lansbergio valde attonito vt hæc eius verba ostendunt pag. 82. *Incompertum & incomprehensibile*

est quomodo fieri poßit, vt ex positione & causa falsa, tot veri effectus necessariò consequantur; non autem ex positione vera. Falsa sunt hæc tua postrema verba Lansbergi: Nam positâ Telluris quiete in centro, totidem veri effectus necessariò consequentur, vt superius ex Te tuoque Patre conuincitur: At quod etiam apparenter sequantur ex Telluris motu falso in Ecliptica; rationem habes accuratissimè demonstratam cap. 6. meæ solutionis; quam feci ipsius solutionis præcipuum fundamentum, cuique etiam assentiris pag. 5, sed eâ ibidem malè vteris. Nimirum perinde esse siue visus siue res visa moueatur: Quod tamen tantùm venit intelligendum de rei apparentia, non de rei veritate: Nam si nauis ponatur quiescere apparebit quidem littus moueri, non tamen verè seu à parte rei mouebitur. Nec ita attonitus esse debes quod ex falsa positione sequantur vera multa & falsa. Nam si quidam homo ponatur esse asinus, necessariò sequetur quod sit animal, viuens, corpus, substantia, ens; & hæc vera sunt; sed etiam necessariò sequetur quod sit quadrupes, rudibilis, &c. quæ falsa sunt de homine ipso; hoc pete à Logicæ tyronibus, nec amplius Tibi sit incomprehensibile.

CAPVT III.

In quo meorum argumentorum contra Telluris motum solutiones à Iacobo Lansbergio redditæ, examinantur.

QVANTO candore soliusque veritatis studio, rationes à Iac. Lansbergio defendere susceptas capite superiori euerterim, lectores ingenui iudicent. Nunc videndum an idem fecerit Lansbergius de rationibus meis pro Telluris quiete excogitatis, quas parui momenti ratiunculas appellat, seque vna operâ diluturum iactat.

Porro in meis rationibus impugnandis tria vafer homo obseruauit. Primò sibi cauit ab iis quibus diluendis se imparem censuit, easque solùm aggressus est, quas debiliores malè opinatus est: Secundò earum plures aut falsificauit, aut diuulsas malè contexuit. Denique singularum fundamenta dolosè subticuit, omnesque

solâ

ſolâ ſuperficie tenus attigit, ne in profundo mergeretur, quod vocat vna operâ diluere. Hicne tuus candor Lanſbergi, & veritatis amor? Quinque tractatus contra Fromondum atque Bartholinum circa apparentias cœleſtes & ſcripturarum explicationem inutiliter protuliſti & me vix duobus capitulis dignatus, rationes meas hactenus inauditas curſim pertranſis, vt canes Afri pauimentum Solis ardore torridum, pedum vſtulatione coacti percurrunt. Sed inde mihi videris excuſandus, quòd nemo ad impoſſibile teneatur. Incipiamus ergo mearum rationum diſcutiones tuas diſcutere.

Primùm ergo pag. 76.77.78. meæ ſolutionis, ex hypotheſi Copernicanorum concludo CHRISTVM dum in Euangeliis dicitur aſcendiſſe ad Cœlum, non aſcendiſſe ad Cœlum, ſed è contra deſcendiſſe. Lanſbergius autem reſpondet pag. 106. *Demus Chriſtum in meridie aſcendiſſe, quis tamen inde rectè inferat per Hypotheſin Copernici fidem noſtram labefactari? quia aſcenſus & deſcenſus ex illorum genere ſunt quæ ad aliquid dicuntur. Vt ergo Morini pater verè filius dici potuit patris ſui reſpectu; ita Chriſtus verè dici poteſt Terræ reſpectu aſcendiſſe: neque hîc falſitas aliqua in fide noſtra oſtendi poteſt.*

Miſereor tuæ ſortis Lanſbergi, oſtendam enim Te in meis ratiunculis impugnandis adhuc infœliciorem eſſe, quàm in tui Patris rationibus defendendis, teque non modò intellectum, ſed voluntatem etiam habere à veritate prorſus aliena: Cur enim diſſimulaſti meæ concluſionis fundamenta, eaque relinquis intacta, niſi quia ijs reſpondere nequis? Et ſolùm tentas ignaris illudere cum tua imperfectiſſima comparatione? Nam patri meo Petro Morino (cuius anima in DEO quieſcat) duos tribuis terminos ſcilicet patrem ſuum Franciſcum Morinum & me; quorum ratione dicitur & filius & pater. CHRISTO autem aſcēdenti das vnicum terminum, nempe quod aſcenderit Terræ reſpectu ſiue à Terrâ: at cùm aſcenſus concipi nequeat ſine duobus terminis à quo & ad quem; vbinā eſt terminus ad quem, quem doloſè ſubtices? Scriptura ſacra dicit ad Cœlum, hypotheſis autem Copernicana hoc dicere nequit niſi falsò. Nam dum CHRISTVS à Tellure recedebat, non accedebat ad Cœlum, ſed ab eo recedebat ex Copernicanis: quis autem hominum mentis compos dicet à Cœlo recedere, eſſe ad Cœlum aſcendere? Igitur nulla eſt quidem

falſitas in fide quod CHRISTVS Terræ reſpectu dicatur aſcendiſſe; ſed eſt falſitas in fide, quod fides dicat aſcendiſſe in Cœlum, hypotheſis autem Copernicana dicat non aſcendiſſe, ſed è contra è Cœlo deſcendiſſe, legantur pag. illæ 76. 77. 78. meæ ſolutionis.

Iam verò tempus adeſt vt tuas diſcutiam reſponſiones ad meas rationes aſtrologicas. Et quidem in ſuperioribus minori excuſatione dignus videris, ſunt enim tantùm phyſica vel aſtronomica; in his autem aſtrologicis maiori; quippe quòd minimè vulgaria ſint, ideoque mirum non ſit quod in ipſis tua pateat inſcitia. Attamen in meis rationibus ſpernendis (quas nugas maximas, friuola cauilla, commenta, tenebras & chimeras appellaſti) Tibi autem triumpho citra victoriam decantando, tanta vſus es inſolentiâ; vt inde inanis gloriæ loco dedecus non minimum ſis reportaturus. Et ego derelicto homine ignaro ſcientiæ totius Phyſices altiſſimæ, diuiniſſimæque, conuertar ad Aſtrologiæ magiſtros, quos ſolos huius cauſæ Iudices accepto.


Secundò igitur pag. 40. 41. 82. 83. 84. præmiſſis aliquot fundamentis oſtendo pag. 84. 85. quod ſi Tellus ponatur in Ecliptica & Sol in centro vniuerſi; Saturnus exempli gratiâ ſit cum Cœlo acturus in Solem & non in Terram cõtra experientiam: Et demonſtrationis rationes habentur in fundamentis à Lanſbergio more ſuo prorſus intactis omninoque diſſimulatis.

Ipſe verò Lanſbergius pag. 107. Apol. ait. *Illud argumentum eſſe inualidum & Mathematico indignum; Præſupponit enim ad efficacem Cæli influentiam rectam radiorum directionem requiri, quâ ſcilicet ad Mundi Centrum ferantur; quod commentum ipſa hypotheſis Terræ quieſcentis explodit.*

Hîc autem reſpondeo. Me non præſupponere quod ait Lanſbergius; ſed oſtendere validis rationibus ab illo diſſimulatis & quibus etiam vſus eſt Kepplerus lib. 4. Aſtron. copern. pag. 448. vbi ait *quod Sol æquabiliùs & rectiùs totum Mundum ſphæricum illuminat in centro quieſcens, quàm circumeundo circa illud in Ecliptica: Nam ſi accederet aliquas partes calefactionis causâ, recederet ab oppoſitis, cauſareturque viciſſitudines ipſe exiſtens ſimpliciſſimus.* Et paulò poſt affert aliam rationem meæ ſimilem de combuſtibili, quod in ſolo foco ſpeculi concaui accenditur, & non in alio puncto ob radiorum rectitudinem. Quod ergo de Sole totum Mundum calefaciente &

illuminante Kepplerus verum putat, verius assero de Tellure à primo Cœlo concauo eiusque influentijs Kepplero ignotis patiente. Nimirum quod in solo Cœli centro siue foco fiat vndique concursus radiorum influentialium; angulis siue radiis rectis; proindeque in eo solo & non extra Tellus æquabilissimè & efficacissimè afficiatur.

Porrò quod ad efficacem Cœli influentiam recta radiorum directio ad centrum requiratur, ita demonstrat Lansbergius esse commentum. *Sit enim in eadem proposita figura circulus BILB Telluris globus, atque eius centrum A. Si verum est quod Morinus vrget, partem Cœli DE cum Saturno C, vim suam tantùm efficaciter dirigere per rectum radium ad Mundi centrum; tunc pars Cœli DE cum Saturno, non influet in punctum Telluris B; sed pars illa Cœli DE tantùm efficaciter influet in exiguam globi terrestris particulam IL, in Terra correspondentem visibili diametro Saturni: quod est absurdum & proprijs Morini assertis repugnat.*



An non vobis ô Mathematici hæc arridet demonstratio quæ est tantùm mera negatio? Verùm vt pateat quàm absurdè absurditatem intulerit Lansbergius. Notum est apud omnes Astrologos, planetas in Tellurem agere tribus præsertim modis. Nimirum corporeo situ, dominio & aspectu, esseque actionem corporeo situ omnium efficacissimam, de qua meam & Lansbergij demonstrationem intelligi vel tyronibus palam est.

Iam verò erecta Cœli figura in quouis Terræ loco, & Cœli Terræque diuiso ambitu in suas 12 domos astrologicas virtute specifica differentes; etiam tyronibus constat, quod si Saturnus fuerit situ corporeo in prima domo quæ est vitæ seu constitutionis corporis & animi; Saturnus ipso situ corporeo non influit circa Nati Magisterium, morbos, itinera, mortem, &c. sed tantùm circa

corporis & animi constitutionem: Cuius vnica ratio est quia Saturnus & pars Cœli quam sua visibili diametro abscindit situ corporeo, simul incumbunt illi tantùm Terræ parti quæ prima domus appellatur, radio ad centrum Cœli directo; dico autem Cœli, quòd virtus radij oppositi deprehendatur esse in Cœlo diametralis vt infra patebit. Ergo planeta suo situ corporeo tantùm agit influentialiter radio ad centrum Cœli directo, cum eâ parte Cœli quam abscindit suâ visibili diametro: idemque dicendum est de figuris erectis non pro aliquo nato, sed pro alicuius regionis constitutione generali ex mente Ptolemæi, sicque patet euidenter absurda Lansbergij conclusio.


Quod autem ait pag. 108. *Me assertis meis repugnare*, falsum est, & textum meum ibidem falsificat, nec tamen inde quod intendit colligere potest. Dixi quidem pag. 92. Terram esse in centro vel vtero Cœli, per quem totum vis Cœli quælibet diffunditur; eamque esse veluti punctum ipsius Cœli respectu; & à radiis influentialibus affici quantùm possunt, ideoque penetrari seruata radiorum rectitudine; in quæ verba non intellecta infaustè Lansbergium impegisse contigit. Iis enim omnino constat quod si Terra sit ferè punctum Cœli respectu; Et tamen ea in centro Cœli collocata atque in suas domos diuisa, velim influentialem actionem planetarum & Cœli per situm corporeum, fieri rectitudine radiorum ad centrum, vt supra à nobis explicatum est: nequaquam mihi contradixi; nec volui quamlibet Telluris partẽ affici rectitudine eiusdẽ radij, quod mihi imponit Lansbergius; longéque abfui ab eius sententia qui Terram in Ecliptica collocans procul à concursu radiorum influentialium, ait nihilominus eam eodem modo affici, ac si esset in centro ob semidiametrum magni orbis, respectu Cœli vt voluit insensibilem: sed Legantur pag. 85. 86. & 87 meæ solutionis rationes in contrarium, quas Lansbergius reliquit intactas, tum quæ infra sequuntur.

Tertiò pag. 88. 89. 90. meæ solutionis demonstro, quod si Tellus circa Solem gyret in Ecliptica, saltem efficaciùs afficietur virtute dodecatemorij sub quo illa mouetur, quàm dodecatemorij oppositi sub quo Sol conspicitur, & à quo Tellus ipsa longiùs distat; quod tamen experientijs Astrologicis repugnat euidentissimè.

Respondet Lansbergius pag. 108. & 109. Apol. *Legem actionis in-*

magis vel minùs distans hîc locum non habere: quia siue Terra in vna Ecliptica parte sita sit siue in alterâ; ad sensum & quoad apparentiam æque à Cælo 8. semper distat; quia Ecliptica est Mundi centrum apparens. Cùm ergo maior vel minor illa vicinitas ad Cælum octauum insensibilis sit, sensibilem in operando differentiam nequit introducere.

Dico autem hoc vnicum superesse Copernicanis omnibus effugium à meis rationibus Astrologicis, quo propterea solo aduersus omnes vtitur Lansbergius; At quàm vanum sit ita ostenditur. Imprimis enim contrariatur Kepplero qui superiùs noluit, Solem moueri in Ecliptica, ne totam Mundi concauitatem inde inæqualiter calefaceret & illuminaret. Deinde in agentibus in distans lex hæc irrefragabilis est, cunctaque sistit effugia. *Virtus agentis naturalis in distans eò remissior est, quò est à suo fonte remotior*: Alioquin erit æque intensa vel intensior; dato autem vtrouis, dabitur agens naturale ad infinitam distantiam, ideoque virtutis infinitæ, quæ sunt




absurda. Ponatur ergo Tellus in Eclipticæ punctis oppositis C & I. Et quia dodecatemoria G Leo & E Aquarius sunt virtute paria;

ſi G agit in C, ergo E æquè aget in I: Atqui E validiùs agit in C quàm in I ex ſuperiori lege in diſtans agentium: Ergo E validiùs agit in C quàm faciat G. Quæ demonſtratio cùm neceſſariò concludat etiamſi diſtantia inter C & I eſſet vnius tantùm milliaris germanici, quantò euidentiùs poſita illa Eclipticæ diametro 5154840 milliariorum germanicorum ex Ph. Lanſbergio? Conſtat igitur euidentiſſimè quod poſita Tellure in Ecliptica, dum hæc mouetur ſub Aquario validiùs affici debeat ab Aquario, quàm ab oppoſito Leone; cùm tamen experientia doceat contrarium, differentiâ etiam maxime ſenſibili Aſtrologorum iudicio: cui nihilominus experientiæ & rationi omnino refragatur Iacobus Lanſbergius dum vult *maiorem vel minorem illam vicinitatem ad Cælum 8, ſenſibilem in operando differentiam non poſſe introducere.* Non ergo Tellus eſt in Ecliptica; vanumque eſt Copernicanorum commentum *quod Ecliptica ſit tantùm apparens Mundi centrum:* Coguntur enim eodem modo aſſerere, quod ſi diameter ſphæræ fixarum eſſet diameter Eclipticæ, & hæc adhuc eſſet inſenſibilis magnitudinis reſpectu ſphæræ fixarum ſuperauctæ in immenſum; fixa agens in ipſius Eclipticæ partem aliquam, æque ſenſibiliter aget in oppoſitam & remotiorem 9288000000 milliaribus germanicis ex Lanſbergij calculo: quæ abſurditas quantùm repugnet legi in diſtans agentium ſuperiùs patet.

Duobus argumentis ſuperioribus actum eſt de modo agendi aſtrorum per ſitum corporeum & dominium; iam ſequitur modus agendi per aſpectum. Quartò igitur pag. 90. 91. 92. meæ ſolutionis, oſtendo per hypotheſin copernicanam deſtrui veram rationem aſpectuum; videatur diſcurſus.

Reſpondet autem Lanſbergius, *Totum meum diſcurſum fundamento carere*, quippe quòd pag. 107. aſſerat *eſſe commentum aſtra cum Cælo agere influentialiter per radiorum directionem ad Mundi Centrum;* quod eſt mei diſcurſus fundamentum, in ſolutione meâ & ſuperiùs quoque ſic demonſtratum, vt Lanſbergio & cuiuis alteri impoſſibile ſit illud euertere. Deinde verò in eadem figura, poſita Tellure C, Venere B, Marte D, Sole A, aſſero quod Venus B & Mars D, ſint virtute coniuncti in eodem radio AE ſub eadem primæ cauſæ ſiue Cœli virtute E: Attamen reſpectu Terræ C dicentur à Copernicanis virtute oppoſiti: Et in hac oppoſitio-

ne Venus B, dicetur agere in Terram C per virtutem primæ causæ G: quam actionem nego possibilem; quòd Venus B sit extra radium GA, in quo solo viget virtus ipsius G; quæ terminatur in Sole A.



Respondet Lansbergius, *Quod è contra Venus B & Mars D virtute sunt oppositi; quodque Venus in ista oppositione agit in Terram in virtute G, & Mars in virtute E*, Eius autem ratio est, *quia Morini figmentum est virtutem G, siue radium GH terminari in centro mathematico A. Nam isti radij qui virtutibus Cæli subsunt, non in centro mathematico, sed in apparenti centro terminantur, illudque penetrant seruatâ radij rectitudine, vt ipse Morinus rei euidentia conuictus fateri cogitur pag. 92. Ac per consequens cùm tota Ecliptica sit Mundi centrum apparens, tota penetrabitur à radijs influentialibus seruata radij rectitudine. Et Mercurius H & Venus B suberunt virtuti G; Mars autem D virtuti E.*


Hîc verò & alibi passim notandum, quod Lansbergius multa asserit & multa negat; sed nihil probat, nec mea fundamenta euertit. Deinde vt aliquid dicere queat, & scripta & mentem

meam hîc quoque falsificat. Vbi enim inueniet me velle virtutem E terminari in A centro mathematico, cùm à contrario velim ex Copernicanis terminari in Sole, quem in Mundi centro A videre non potuit Lansbergius, & qua de re nobis erit etiam infra cum ipso dimicandum?

Nonne Copernicanis pro centro Mundi physico seu apparente sufficiet Sol, 434 vicibus ex Ph. Lansbergio maior quàm Tellus, quâ pro centro physico contenti sumus, quæcunque sit Mundi moles? Præterea hîc quoque notanda est Iacobi Lansbergij resipiscentia; etenim pag. 107. dixerat; *commentum esse Cœli influentiam agere radiorum directione ad Mundi centrum:* Hîc verò vult *Venerem B agere in C virtute Leonis G, radio per Mundi centrum etiam mathematicum transeunte.* Denique ex eo quod velim pag. 87. & 92. Terram occupare Cœli vterum siue focum (quem in indiuisibili non consistere docent Optici, & visu ipso patet in speculis concauis) ibique radiis influentialibus totam penetrari seruatâ radiorum rectitudine pro effectu specifico distinguendo: An propterea inde sequitur, quod virtus G penetrare debeat Solem ex Copernicanis in ipso centro constitutum & maiorem Terrâ vicibus 434, fortéque sua substantiâ penetrationi radiorum influentialium magis resistentem? Et non modò penetrare Solem, sed adhuc corpora Mercurij, Veneris atque Lunæ, necnon media spatia inter Solem & Terram interiecta, tandemque Terram ipsam, necnon reliquos planetas si in eodem radio GA reperiantur. Videte quæso quanta sit disparitas & quàm absurda consequentia: Quod enim Copernicani cum Lansbergio pag. 112. assumunt adeo liberaliter. *Vt se habet Tellus ad Cœlum 8 ex Ptolemæo; ita se habet tota Ecliptica ad Cœlum 8 ex Copernico,* Falsissimum est. Cœlum enim est ante Ptolemæum & Copernicum, nec per eorum diuersas hypotheses vel opiniones, suam variat magnitudinem, quæ semper remanet eadem: ac proinde si esset eadem ratio Telluris ad Cœlum 8, quæ Eclipticæ ad ipsum Cœlum, Tellus & Ecliptica æquales essent *prop. 11. 5. Eleni:* quod quàm sit absurdum nemo non videt. Dicent differentiam proportionis esse insensibilem respectu magnitudinis Cœli: sed esto quod sit insensibilis visui: Anne ideo sequitur quod infert Lansbergius, nullam inde oriri posse sensibilem differentiam actionis, cuius censura ad oculum non pertinet?

His verò discussis iam mihi probandum est Venerem B & Martem D non esse virtute cœlesti oppositos, vt vult Lansbergius; sed coniunctos in radio AE. Quod sic probo. Vel B & D habent formaliter ab interposita Terra C in eodem radio AE, quod sint virtute oppositi, vel non: Si hoc, ergo in nulla Cœli parte duo planetæ dici poterunt coniuncti, sub eadem virtute primi Cœli contra omnes Astrologos. Vbi enim dicentur coniuncti, nisi tales dicantur in eodem radio siue semidiametro primi Cœli? Quod si dicatur illud, contrarium ita demonstratur. Virtutes Cœli dodecatemoriales specie quidem diuersæ sunt; at non omnes oppositæ. Ratio autem cur virtutes Arietis & Geminorum non sint oppositæ, est quia inter ipsas non datur Cœli centrum; sicut nec inter virtutes Cancri & Piscium. At virtutes Leonis & Aquarij dicuntur oppositæ; quòd inter has detur Mundi centrum. Igitur solum Mundi centrum inter virtutes Cœlestes medium, etiam omni corpore vacuum, est sola ratio formalis oppositionis ipsarum, siue partium Cœli; Idque inde confirmatur, quia quamuis totus Leo toti Aquario dicatur oppositus, nullus tamen Astrologus dicet, primum gradum Leonis opponi virtute secundo gradui Aquarij, & multò minùs tertio aut quarto; sed tantùm primo, vt constat directionibus Astrologicis; nec primum secundum primi gradus Leonis, opponi secundo secundo primi gradus Aquarij, sed primo secundo; & sic in infinitum; ob ipsam scilicet rationem oppositionis ab ipsissimo centro Cœli intermedio formaliter petitam. Quod si huius quæratur demonstratio, ecce illam.

In circulo DBC ducãtur duæ diametri DC & BE se rectè secantes in centro A. Nullus Astrologus dicet puncta D & B opposita, sed quadrata: Puncta verò B & E dicet esse opposita. Ducta autem vtcũque recta BF, non erit in ipsa BF ratio, cur B & E sint opposita, sed erit in recta BE: Et similiter in diametro DC erit ratio cur D & C sint opposita: Cùm ergo ratio oppositionis sit in vtroque diametro, illa non poterit non esse centrum A, quod solum vtrique diametro commune est: quid ad hæc Lansbergius, vel quiuis alius?




Iam verò etsi verum sit planetas B & D esse oppositos respectu Terræ C ratione situs; est tamen falsum esse oppositos ratione virtutis cœlestis: quia vt suprà ostensum est, formalis ratio oppositionis virtutis, petitur à solo centro Cœli intermedio: Atque idcirco si B esset in K, tunc K & D dicerentur respectu Terræ C oppositi virtute Cœlesti, ob centrum A intermedium. At si per Tellurem C duceretur recta ad GE perpendicularis, & vtrinque ad Cœlum terminata; terminaretur quidem ad virtutes accidentaliter oppositas ratione situs ad Tellurem intermediam; at non formaliter oppositas: quòd nempe ratio formalis oppositionis virtutum Cœli, tantùm petatur à Cœli centro intermedio & non ab intermedia Terra, Marte, Ioue, vel alio globo, de quibus idem dici posset quod Lansbergius asserit de Tellure. Denique negari nequit quod B sit respectu Solis A sub virtute E: Si ergo respectu C fuerit sub virtute G: Ergo B ex se & absolutè neque erit sub virtute E, neque sub virtute G; ideoque nec sub vlla virtute Cœli, sub qua enim esse dicetur? At Cœlum esse diuisum in 12 virtutes dodecatemoriales specie diuersas, & planetam extra Cœli centrum earum nulli peculiariter subesse, non minùs absurdum est & rationi contrarium; quàm Solem vel Tellurem in Cœli centro ipsis virtutibus ex æquo non subesse. Non ergo B & D sunt virtute oppositi, sed coniuncti sub virtute E; proindeque Venus B non subest virtuti G, nec per virtutem G agit in Tellurem C. Lansbergium autem & similes Philosophos ideo errare contingit, quòd influentias lucis instar agere putent, nec hactenus cognita fuerit natura influentiarum; quam si DEVS permiserit, aperiemus in Astrologia gallica.

Quintò. pag. 92. assero quod si in eadem figura, Ex Tellure C. videatur Mars D & Saturnus F, distantes Cœli quadrante EL, &c.

Quæ omnia nihil quàm chimæras esse & friuolum Morini commentum, ait Lansbergius.

Quid facerem circa hæc Lansbergij signa adeo manifesta tædij & iracundiæ? Certè illius misereri cogor; quòd sine rationis filo meæ figuræ labyrinthum ingressus sit, vel sicut musca acriùs pungens in illam araneæ telam imprudenter impegerit, seque inde extricare inani conatu contendens se magis ac magis implicet.

Sed audiamus rationem quam attulit. *Nam ſi ex hypotheſi Terræ quieſcentis* (ait) *Saturnus in F, Mars in D collocetur; Saturnus F non efficaciter tantùm influet in Terræ centrum per radium LA, ſed etiam in punctum ſuperficiei Terræ C per radium LC, quia totus Telluris globus* (quem hîc ſupponit eſſe globum CNI) *ad Cælum octauum ELGE inſtar puncti eſt.*



Atqui ſi Cœlum & Terra domorum circulis diuidantur more Aſtrologico, & GE ponatur eſſe Horizon, LA autem circulus Meridionalis, certum eſt quod naſcenti in Terræ puncto N, punctum C erit in ſeptima cuſpide: ac proinde cum hîc tantùm ſit quæſtio de influentiali actione per ſitum corporeum, ſi Saturnus F ageret per ſitum corporeum in eam Terræ partem quæ verſatur in ſeptima domo, Saturnus ipſe ſitu corporeo eſſet in ſeptima domo, ſiue in radio CE; per quem Saturnus cum parte Cœli E ſimul incumberent illi Terræ parti C quæ ſeptima domus appellatur, radiis ad Cœli centrum directis, vt oſtenſum eſt ſuperiùs in examine reſponſionis ad primum argumentum aſtrologicum. Iam

verò certum eſt quod per radium LC Saturnus F ſitu corporeo non eſt in ſeptima domo, ſed in Medio Cœli. Ergo Saturnus F ſitu corporeo non agit per radium LC in Terræ INC, partem C: Erratque Lanſbergius toto Cœli quadrante LE, vnde nil mirum ſi hæc aſtrologica vocet *chimæras & tenebras*, cùm Aſtrologiæ ignarus hæc illi talia videantur, in quibus diutiùs immorari ipſum tædet (quod ait) proptereaque ad ſequens argumentum aſtrologicum conuertitur.

Sextò. Igitur à pag. 131. ad 137 ſolutionis meæ oſtendo contra Ph. Lanſbergium pag. 102. progym. & cæteros Copernicanos, ſupra ſphæram fixarum eſſe aliud Cœlum, quod voco primam cauſam phyſicam, diuiſum in dodecatemoria realia & fixa, quibus inſunt variæ operandi virtutes reales: proindeque falſam eſſe Copernici hypotheſin, quæ Cœlum illud è medio tollit.

Reſpondet Iacobus Lanſbergius ſuo more, *Argumentum illud nihil omnino ad rem facere. Nam ſi dodecatemoria realia & fixa ex Cœli effectibus demonſtrentur, poterunt tam cum hypotheſi Terræ motæ conciliari, quàm cum hypotheſi Terræ quieſcentis: Et licet hypotheſis quæ Terram mouet nono Cœlo carere poſſit ſi neceſſarium non ſit, illud tamen admittere poteſt ſi neceſſarium demonſtretur.*

Videte quæſo an illud argumentum nihil ad rem faciat. Hactenus Copernicani mordicus defenderunt ſphæram fixarum eſſe immobilem & ſupra hanc nihil prorſus eſſe: Iam verò Lansbergius mearum (vt vocat) ratiuncularum vi coactus non modò titubat in illa opinione, ſed admittit nonum Cœlum ſi neceſſarium demonſtretur. Eius autem neceſſitas demonſtratur, non modò rationibus quæ Lansbergium ad hæc verba coëgerunt; ſed inferiùs cap. 4. multò euidentiùs demonſtrabitur. Cæterùm dato nono Cœlo diuiſo in dodecatemoria realia & fixa, inde neceſſariò ſequitur motus ſphæræ fixarum; hæ ſiquidem transferuntur de vno dodecatemorio ad alterum, vt de Ariete in Taurum: Ergo etiam motus ſphæræ fixarum à Copernicanis neceſſariò admittendus eſt contra eorum hypotheſin. Idque certè fateri coactus eſt Ph. Lansbergius in ſuis Tabulis motuum præcepto 11: non quidem adductis rationibus meæ ſolutionis, quam vidit ante editionem ſuarum Tabularum (ſcilicet pudore retentus.) Sed adducta comparatione à cerebri motu deſumpta, apud Mathematicos prorſus

ridicula & inefficaci ad palinodiam adeo insignem decantandam, sicque tandem concludit. *Verior itaque est Ptolemæi & priscorum Philosophorum sententia, statuentium totam fixarum stellarum sphæram lento quodam motu moueri in consequentia circa Zodiaci polos; & sic sensim mutari stellarum fixarum longitudines: Cui sententiæ nos quoque vt veriori subscribimus:* quam tamen Patris confessionem omnino dissimulauit Iacobus Lansbergius. Quod verò hîc ait *nonum illud Cælum conciliari posse cum hypothesi Terræ motæ.* Dico hoc tantùm fieri posse per superadditas tres nouas hypotheses; quarum prima erit, sphæram fixarum circumuolui in annis 25655 iuxta Phil. Lansbergium in suis Tabulis. Secunda. Nonum illud Cœlum esse immobile. Tertia. Inter vtrumque Cœlum dari spatium & substantiam æthæream. Nam si illi duo Cœli solidi fuerint contigui, nonum ab octauo raptim circũferetur, sicq; huic illud frustra superponetur. At patet tertiam hypothesin tantùm fore confictam in gratiam causæ copernicanæ, sine vllo naturali fundamento: Ergo falsa est immobilitas illius supremi Cœli, etiam ex ipso Ph. Lansbergio, supraposito præcepto 11 his verbis. *Consentaneum est supremam Macrocosmi sphæram non esse immobilem.* Quod autem Ph. ipse Lansbergius supremam sphæram putat esse sphæram fixarum, nihilque dari supra; se miserè implicat: Nam ibidem negat sectiones Eclipticæ & Æquatoris moueri in antecedentia, sed è contra fixas moueri in consequentia dodecatemoriorum: At vbinam erunt dodecatemoria si nihil sit supra sphæram fixarum? Videte ergo quid operatæ sint meæ parui momenti ratiunculæ vt vocat Iac. Lansbergius. Sed de his Astrologicis hactenus satis cum viris doctis, nimiùm verò cum ignaris; qui Astrologiam Gallicam à me promissam & rem sibi penitus incognitam scriptis suis ausi sint deridere. Veniamus ergo ad argumenta mea physica, an saltem in his refellendis fœliciùs Lansbergio successerit.

Itaque septimò. Cùm Kepplerus lib. 4. Astron. Copern. pag. 498. dixisset suam & Copernici hypothesin de loco Terræ in Ecliptica, non impedire Solem esse maiorem mole corporis quàm sint fixæ. Demonstraui pag. 69. meæ solutionis illud esse falsum, & fixam sextæ tantùm magnitudinis maiorem esse corpore Solis 7301384 vicibus, etiam ex Keppleri hypothesibus, contra quem idcirco habeo intentum; nullum siquidem in mea demonstratio-

ne vitium annotare potuisti Iacobe Lansbergi; Quid ergo pag. 101. tuæ Apol. me circa hanc Keppleri refutationem aggrederis, & semper falsarius mihi tribuis Fromondi argumentum, cùm pag. 74. ingenuè fatear è contra, stupendam illam fixarum magnitudinem non necessariò inferre absurditatem hypotheseos Copernicanæ?

Octauò. pag. 79. meæ solutionis argumentor contra Kepplerum à causa motus Terræ extra Mundi centrum. Ipse enim Kepplerus respuens cum cæteris Copernicanis Intelligentias & DEVM pro causis motricibus naturalibus (quod etiam faciunt ambo Lansbergij) excogitauit vt erat ingeniosissimus causas naturales, quæ Tellurem motu diurno & annuo circumferrent. Has ergo causas adeo validis rationibus euerto tum pag. illa 79. 80. tum à pag. 43. ad 50; vt Iacobus Lansbergius ne minimam quidem illarum ausus fuerit aggredi: imò earum vi fuerit coactus fateri Apol. pag. 27. *Se ignorare à qua causa Tellus moueatur:* Habeo igitur intentum contra Kepplerum & Te, quem pro defensione causarum Telluris motricum naturalium, piscis instar mutum effeci. Quod verò ais pag. 113. *Consequentiam non valere. Causa à Kepplero excogitata insufficiens est, Ergo nulla alia esse potest.* Non est hæc mea conclusio Lansbergi, sed tua qui semper falsificas: Mei enim discursus conclusio est, Tellurem non moueri à causis naturalibus à Kepplero inuentis. Quod si Copernicani alias causas habeant, has in lucem proferant, & à me æque facilè euertentur; si nullas, saltem fateantur Tellurem sola eorum opinione falsa moueri: Quod enim ais *nullam causam excogitari posse quæ totum Cælum, Solem, Lunam & omnes stellas circumducat, quæ simul ad mouendam Terram non sit sufficiens:* Vera dicis; sed Tychonici cum Aristotele censent illa moueri ab Intelligentijs vel à DEO, quod verissimum esse assero. Nam certum est corpora illa non sui, sed alterius gratiâ moueri, quippe Terræ; ideoque non mouentur à principio intrinseco, sed ab extrinseco: At nec tu nec Copernicani cæteri (tuo Patre supra excepto) audetis asserere Tellurem moueri à DEO vel Intelligentiis; metuitis enim ne vobis dicatur primi Cœli motum non esse DEO vel Intelligentijs impossibilem, quem asseritis impossibilem; ideoque dicere mauis, Te ignorare à qua causa Tellus moueatur.

Nonò. pag. 49. Argumentor ab influentiarum cœlestium efficacissimo concursu in Mundi centro; Et assero quod si Sol ponatur in centro, sequentur duo; Primum: quod in Sole fient plures specie & numero generationes, quàm in Terra; vel Sol erit frustra in vtero Mundi: Secundum: quod ex parte situs globorum, &c.

Respondes, *Quod certior ratio cur in Terrâ non autem in Sole & planetis res variæ producantur, est quod materia ad generationem apta in alijs globis desit.* Sed primò respondes quod ignoras, nec probare potes, arbitrantur enim plerique Copernicani omnes globos esse habitatos. Deinde quod tua ratio falsa sit in speculis concauis quæ in comparationem assumpsi (quoniam cum Cœlo in modo agendi conueniunt) sic patet; Nam idem combustibile positum in foco speculi & extra; accenditur in foco & non extra; cuius vnica causa est diuersa virtus Loci, & non (quod ais) diuersa materiæ dispositio. Fateris autem quod si materia Solis sit generationi apta, plures in Sole quàm in Terra fient generationes, quòd nempe Sol occupet Mundi centrum vbi Cœli influentiæ ad producenda varia sunt efficacissimæ: Ergo fatearis oportet quod si Sol careat materiâ generationi aptâ, ipse frustra sit in Mundi centro. Vt quid enim Terram occupat dicebat CHRISTVS in Euangelio de ficulnea sterili? Et quo fine erit ille concursus radiorum influentialium, ad generationem vt ipse fateris efficacissimus? Fateberis te id ignorare, vt de Telluris motrice. Tutissimum autem arbitraris solitum tuum effugium ad Eclipticam Mundi centrum apparens, in eoque tibi maximè complaces dum ais. *Quia cùm Ecliptica apparens Mundi centrum sit, ratio dari nequit cur medius Eclipticæ locus ad producenda varia magis idoneus sit, quàm ille qui in Eclipticæ circumferentia est. Ipsa enim hypothesis Terræ quiescentis quæ Totum elementarem globum præsupponit Mundi centrum esse, ostendit non in medio, sed in ambitu apparentis centri atque in extima eius parte res varias produci; hoc est in Aëre, Mari, Terræ superficie, non autem in locis Terræ centro vicinis.*

Cæterùm apparens tuum Mundi centrum iam fuit superiùs explosum. Præterea vide quàm malè quadret futilis tua comparatio. Saltem tota Tellus (nostrum centrum apparens) fœcunda est in toto suo ambitu: sique in centro nihil generetur, id non contingit quidem defectu virtutum Cœli influentialium quæ totam Tellurem penetrant, sed aliarum virtutum eiusdem Cœli &

planetarum; tum Ætheris & elementorum quæ vſque ad Terræ centrum non pertingunt: At Eclipticæ ſphæra (veſtrum centrum apparens) tota ſterilis eſt & in profunditate & in ambitu excepto Solo ambitus puncto in quo Tellus reperitur: Imò Sol occupans locum concurſus efficaciſſimi omnium virtutum cœleſtium, & æthereárum, iiſque toto ſuo ambitu expoſitus, omni tamen vt ipſe fateris generatione caret. Ex quibus patet quàm abſurdum & miſerum ſit Lanſbergij effugium.

Decimò. pag. 107. 108. 109. argumentor contra Copernicum. Quod ſi Tellus moueretur in Ecliptica, nullus in Natura daretur motus ſimplex ſiue rectus ſiue circularis: Terrâ autem diurno motu circumducta ex Origani & Longomontani opinione, nullus ſaltem daretur motus rectus: Ad rationes autem Copernici dicentis non dari motus ſimplices, ſed mixtos ex illis; & rectum cum circulari manere vt ægrum cum animali, aut lineam cum ſuperficie. Reſpondeo dari ergo poſterius ſine priore, & compoſitum reale ex ijs quæ non dantur à parte rei, quod ex eius etiam comparationibus abſurdum ſic oſtendo, vt eum defendere non auſus fuerit Lanſbergius: ac per conſequens habeo intentum contra Copernicum & alios. Ipſe verò Lanſbergius alia vtitur comparatione pag. 114. Nimirum *quod omnia corpora mixta conſtant ex 4 elementis, quæ ſimplicia & impermixta nuſquam oſtendi poſſunt; proindeque friuolum eſt meum argumentum.* Vt verò è contra tuum Lanſbergi argumentum aduerſus meum pateat omnino friuolum. Fuiſtine in infima Aquæ vel Terræ regione aut in ſuprema Aëris vel Ignis, vt adeo audacter nobis aſſeueres ſimplicia elementa nuſquam oſtendi poſſe? Et ſi oſtendi nequeunt impermixta in ſuperficie Terræ, vbi viget mixtio elementorum ad mixtionem ibidem concurrentium; ſequiturne illa nullibi eſſe impermixta? Sed adeo bonus es Logicus, vt particularem negatiuam in vniuerſalem negatiuam conuerti poſſe putes: Tibique tantùm negare & affirmare ſufficiat ſine vlla ratione.

Vndecimò. pag. 109. Argumentor contra Copernicanos ab Aëris perpetuo motu in occaſum ſub Æquatore. Videatur argumentum valde notandum. Contra quod hæc ſola verba habet Lanſbergius pag. 114. *Quod argumentum non attingam; quia Tract. 2. cap. 2. & 3. probatum fuit Aquam, Aërem & Terram eamdem motus velocitatem*

tatem suscipere posse. Sed quid tibi prodest fallere Lansbergi? Nec tu nec alius vnquam probabit; dato Telluris motu Elementa Aquæ & Aëris ex æquo obsequi motui Terræ; id enim eorum naturis repugnat, vt etiam assumitur à Kepplero & Galilæo. Insuper verò nec tu nec vllus Copernicanus meum argumentum euertet, & idcirco illud nequidem ausus es attingere.

Duodecimò tandem. à pag. 114 ad pag. 130, Argumentor contra Copernicum & Kepplerum à motu grauium per se primò Mundi centrum petentium; adeoque validis rationibus eorum opiniones expugno (quod nempe grauia sursum aut proiecta, aut producta ad Terram descendant, vel vt vniantur suo toti ex mente Copernici; vel quòd vi magnetica à Tellure trahantur ex mente Keppleri) vt Lansbergius neutram opinionem tueri voluerit. Et quia demonstro locum quem grauia appetunt, non esse per se centrum Terræ, Aquæ vel Aëris, sed tantùm per accidens: esse autem per se centrum solius Cœli: Concludo grauia non ad Terræ, Aquæ vel Aëris centrum per se ferri, sed solius Cœli.

Respondet Lansbergius pag. 115. *Consequentiam huius argumenti nullam esse:* quod tamen falsum esse quis Logicus non videt? Subiungitque rationem hanc, *quia* (inquit) *grauia ex Natura sua tantùm tendunt ad medium illorum quæ leuitatem & grauitatem habent, atque id Morini demonstratio euincit.* Sed non possum non mirari tuam impudentiam falsitati connexam, ô Lansbergi. Demonstro grauia tendere ad medium Terræ, Aquæ vel Aëris; non quatenus est horum medium, sed quatenus Cœli medium siue Centrum. Et tu planè contrariam demonstrationem mihi imponis: Cur id facis nisi quia alioquin impossibile tibi esset quidpiam respondere, & vis ignaris illudere?

Subiungis autem. *Quod si Morinus similiter probare possit annihilata Terra, Aqua & Aëre, hoc est grauibus & leuibus, grauia idem spatij medium ex sua natura occupatura esse; confecta res erit.* Hoc igitur sic probo. Grauia non feruntur ad ipsum medium, quòd trahantur vel à Terra, vel ab Aquâ, vel ab Aëre, vel ab ipso medio siue centro; nec quòd quærant vniri suo toti sibi in Natura simili. Hæc enim omnia fuerunt mea demonstratione sic explosa, vt neutrum illorum defendere ausus sis, vel (vt res clariùs proponatur) lapis ad Globi terrestris centrum descendens, non habet à Terra vel

Aëre quod ibi descendat. Nam si daretur puteus Aquâ plenus ad Terræ centrum vel vltra pertingens, lapis ad centrum descenderet: sed neque id etiam habet ab Aqua; nam si puteus esset solo Aëre plenus, lapis tamen ad centrum descenderet: Ergo quod ad centrum descendat, id non habet à Terra, Aëre, vel Aqua: Imò hæc singula lapidi descendenti resistunt; maximè Terra, minùs Aqua; minimè Aër. Ergo non tantùm perinde est Terram, Aquam & Aërem, hoc est grauia & leuia respectu lapidis descendentis esse & non esse; sed etiam lapidi ad centrum tendenti satius esset illa non esse, cùm eius appetitui vel inclinationi resistant, & eorum locum saltem à solo Æthere occupari, qui longè minùs resisteret. Si alia mea argumenta soluere non potueris, non video quomodo hoc soluere possis, sed video te coactum fateri, rem confectam esse.

Pro leuibus hoc tibi sit argumentum. Aqua in vaporem resoluta, ascendit suapte naturâ ob acquisitam raritatem & leuitatem, nec fugatur à calore resoluente, quia fertur ad Solem resoluentem; nec etiam fugatur à Terrâ vel Aquâ: nec attrahitur à radiis solaribus, id enim de fumo camini vel ollæ asserere ridiculum esset præsertim noctu; nec magneticè attrahitur ab Aëre, cuius media regio vaporibus est inimica. Habet igitur regionem sibi propriam ad quam sua naturâ tendat, quæ per consequens debet esse vel ad superficiem vel ad centrum Mundi. Non enim potest esse vtrumque; nam si vapores per se feruntur ad superficiem, per se non ferentur ad centrum, hi siquidem motus sunt oppositi: Esset autem vtrumque, si Terra esset extra Mundi centrum; nam à tota Terræ peripheriâ vapores diu & noctu exeunt: Atque hoc etiam argumentum potest grauibus adaptari, qui etiam per se à duobus terminis contrarijs, peripheriâ & centro Mundi ad Tellurem descenderent.

Concludamus hoc argumento. Ponatur lapis vel aliud graue procul à Terra in quouis puncto corporis illius sphærici, cuius circulus maximus est Ecliptica, vel in huius centro. Quæro an sit descensurus in Terram? Fatebuntur omnes Copernicani cum Lansbergio suprà, præsertim quòd illud corpus sphæricum quem ambit Ecliptica sit tantùm apparẽs Mundi centrum. At ego dico, si Terra sit in Eclipticæ gradu primo Arietis, descendet lapis ad

primum gradum Arietis: ſi Terra fuerit in ſecundo gradu, deſcendet lapis ad ſecundum gradum: ſi in tertio ad tertium & ſic deinceps. Ergo graue in illo puncto ſiue loco, etſi fatente quoque Lanſbergio habeat ex ſua natura principium motus & terminum determinatum à quo ſui motus, nempe illud punctum in quo eſſe ponitur; nullum tamen habet terminum determinatum ad quem: ſed indiget determinari à globo Terreſtri: hoc autem aliter fieri nequit quàm per tractionem magneticam Terræ, vel quod graue quærat vniri ſuo toti: Quæ ambo adeo validè refutata ſunt à nobis, vt nec Lanſbergius potuerit, nec alter Copernicanus poſſit vtrumuis defendere. Non ergo Tellus mouetur in Ecliptica. Confirmatur. Quia ſublato Telluris globo & ambiente Aëre: vel lapis mouebitur à loco in quo ponitur vel non: Si hoc, ergo à Tellure priùs trahebatur, vel ad eam mouebatur vt ſuo toti vniretur; cur enim ad illam moueretur & ea ſublata quieſceret? Et ſi naturaliter ſiue ex ſe quieſcit in Eclipticæ centro, cur tota tellus in illo ex ſua natura nequit quieſcere? At ſi à Mundi centro mouetur ſublato Telluris globo, Dic mihi Lanſbergi ad quodnam Eclipticæ punctum mouebitur? Hæc autem demonſtratio longè excellit tuæ tuique Patris abſurdæ demonſtrationi motus Telluris in Ecliptica, pro cuius falſitate agnoſcenda, Te ad Logicam in decennium remitto, vel ad iudicium ſemeſtris Logicæ tyronis.

Hæc ſunt igitur Iacobe Lanſbergi, quæ Tibi reſpondemus pro defenſione noſtrarum (vt ais) ratiuncularum Theologicarum, Aſtrologicarum, & Phyſicarum; quas non quidem rationibus expugnaſti, ſed contemptu, conuitijs & falſitatibus opprimere fruſtra conatus es.

CAPVT IV.

In quo quid pro Telluris motu defendendo ſuperſit Lansbergio, diſquiritur atque diſcutitur.

REFVTATIS omnibus quæ aduerſum me dicta ſunt à Iac. Lanſbergio, iam mihi iure liceret cum Tellure quieſcere: Verùm ne quid intactum relinquatur, quod credula nimis inge-

nia remoretur; placet adhuc vnicum illud argumentum explodere, quod Lansbergio superesse video, ad Solis ignaris illudendum: vtpote petitum à duabus experientiis intra nauis foros, quas passim inculcat, sed præsertim *cap.2.tract.2.* quasi causæ lucrum inde certò reportaturus.

Prima est. *pag.18. Si quis pari impulsu sagittam intra nauis foros primùm emittat orientem versus, dein in Occidentem, vel aduerso vel comitante nauis motu; semper eamdem vel circiter distantiam attinget, plus nec minùs quàm si nauis quiesceret.* Vnde concludit Aërem naui contentum, & per ipsum proiecta, moueri motu nauis; quam peculiare systema esse dicit: ideoque à simili in Aëre externo proiecta, circumferri motû Aëris ipsius.

Sed quàm grauiter circa hoc erres cum tuo Patre (Lansbergi) nunc perpende. Si stares in prora nauis velociter motæ, puppim respiciens quæ fertur ad locum siue spatium mundanum quod occupas: Non tamen idcirco puppi appropinquares, nisi mouereris ad ipsam, & Tabulati spatium trajiceres, proræ & puppi interjectum: quia dum puppis fertur ad spatium quod occupas, æquè velociter fugis ab ipsa ad aliud, per motum nauis cui superstas; & quo motu raperis siue ipse per te quiescas, siue mouearis. Atque idcirco vt puppim accedas, eodem modo ad ipsam te moueri necesse est, ac si nauis quiesceret.

Eadem est ratio de piscibus in cymba aquæ plena, quibus à puppi ad proram nonobstante motu cymbæ, trajicienda est aqua intermedia virtute propria, vt si cymba vel aqua quiesceret. Cùm enim aqua vel quoduis aliud medium quiescens resistat mobili; indeque motus cogatur esse successiuus: si contingat medium ipsum moueri, non eapropter suam deponet resistentiam; sed insuper mobile impellet atque transferet accidentaliter de loco ad locum siue spatium mundanam; nisi mobilis & medij eadem sit seorsim velocitas motus contrarij, vel mobile velociùs moueatur quàm ipsum medium: Eademque est omnino ratio de sagitta trajecta per Aërem naui inclusum, & cum ea motum: de musca volante per Aërem in magna phiala contentum, & de cæteris similibus.

His verò concessis, negatur Lansbergij consequentia; grauia in Aëre externo seu libero mota, similiter transferri cum Aëre ipso.

Priùs enim demonſtrandum eſt Elementum Aëris cum Tellure circumferri: quod nec fecit Ph. Lanſbergius, nec faciet vnquam Iacobus eius filius.

Secunda igitur experientia hæc eſt. *Si quis naui mota, pondus ex Tabulato demittat; cadet ad perpendiculum, non aliter quàm ſi nauis immota iaceret. Eodem tamen momento quo pondus deſcendit, nauis ad ſatis longam diſtantiam mouetur. Ergo certum hinc fit pondus ex alto deſcendens communi nauis motu vnâ abduci: quod erat probandum.*

Sed attende Lanſbergi. Si ventus (quem Aërem motum vel Aëris fluctum appellant) domorum tecta trabeſque interdum longè exportat, ſemper autem longiùs leuiora & ſphæricam formam minùs participantia. Quid mirum ſi Aër naue incluſus & velociter motus, graue aliquod à ſuo ad Terræ centrum perpendiculo nonnihil violenter deturbet? Id præſtaret multò efficaciùs aqua loco Aëris naue vecta; cùm enim graue decidens, ex ſe rectâ petat Terræ centrum; ſi cadendo contingat ipſum intercipi aliquo medio pertranſeundo, quod circa Terræ centrum moueatur; ab hoc indubiè transferetur quandiu in ipſo verſabitur, validiùs quidem ab Aqua denſiore, debiliùs verò ab Aëre rariore pari motu delatis. Quod verò interim graue ſui ad centrum perpendiculi non obliuiſcatur, ſed pro illo militet aduerſus externum Aquæ vel Aëris impulſum; patet ab exportatis à furente vento, quem ocyſſimè fugientem exportata non ex æquo ſequuntur, ſed breuî in Terram decidunt; non ſecus ac lapis in fluuium proiectus, Aquæ motui non obſequitur ex æquo, ſed renititur donec in Aquæ fundum deuenerit. Et quò maior eſt corporis grauitas, eò minùs obſequitur. Et quia tam Aër quàm Aqua ſunt corpora fluida ſolidis cedentia, graue autem decidens per ipſa, toto niſu contendit ad Terræ centrum; Vt verum eſt graue ipſum impelli à medio moto pro huius denſitatis & velocitatis ratione: ita falſum eſt intra hoc cadere illud exactè ad perpendiculum, vt manifeſtè patet in lapide per aquam currentem decidente, cuius eadem eſt ratio quæ Aëris intra nauis foros delati. Et quamuis illud tibi concederetur quid tum? Ideone grauia per Elementum Aëris cadentia ab ipſo Aëre circumferuntur? Certè ſemper tibi probandum priùs remanet, ipſum Aërem circumuolui: Vide igitur quid pro tua cauſa valeant iſtæ experientiæ.

Eadem dici possent de Terrella Gilberti seu magnete; necnon de tua Terra chymica in ouo philosophico hermeticè clausa: quas ab ortu in occasum rotare falsò dictum & à plerisque creditum est. Vt proinde non parùm sim anxius quò tandem se recepturi sint Copernicani ad rationes causæ suæ fulciendæ inquirendas; quandoquidem à Cœlo, Aëris Elemento, Mari & Terra expulsi, iam scrutantur nauium foros & Alchymistarum furnos. Verendum certè ne tandem hypocondriacis deteriùs habere iudicentur; quòd non modò contra omnem rationem atque sensum, se per ætherea spatia diurno & annuo motu circumduci mira cum voluptate imaginentur: sed reliquis etiam hominibus similem imaginationem conentur imprimere.

CAPVT V.

In quo celeberrimi viri Christiani Longomontani, in Academia Hauniensi Regis Daniæ Mathematum Professoris, censura meæ Solutionis exponitur, dubitationes aliquot proponuntur, & ijsdem à me respondetur.

DE rebus astronomicis & astrologicis septies ad me scripsit Clarissimus mihique charissimus D. Longomontanus, qui Astronomiæ restituendæ diuturnam cum Tychone Brahæo nauauit operam, nec breues epistolas sed valde amplas. Ille verò cùm in sua Astronomia Danica, Telluris motum in Mundi centro simul cum Origano affirmasset, horumque opinionem in Solutione mea refellissem: tantùm abest vt exemplo Lansbergij bile succensus conuitiorum flammas in me vomuerit, quin è contrà vir ille celeberrimus annorum 70, Famosi problematis mea solutione recepta, pro insigni suo candore ac ingenuitate, sequentem epistolam ad me scripserit; quantùm veritati deferret testatus egregiè. Quod certè in eius laudem omnibus innotescere volui, ipsius epistolâ hîc apposita.

Viro Clarissimo & Excellentissimo, D. Joanni Baptistæ Morino, Doctori Medicinæ, & Professori Mathematum in Regia cathedra Parisiensi ordinario, Domino, amico suo exoptatissimo S. P. D.

DEsiderium meum (Amantissime D. Morine) serò licet, sed seriò de Quiete Telluris abs te probata impleuisti. Nam postquam librum Domini Liberti Fromondi de eodem argumento, elapso mense Iunio nactus essem, Tibique in præmissas tuas litteras respondissem, Ecce tuus sub finem mensis sequentis pariter à Generoso D. Petro Wibe, vnà cum epistola tua 16 Ianuarij exarata traditur. Quamquam verò super hac morâ mirari potuerim; tamen temporis spatium à longitudine dissitorum inter nos locorum mensurando, & simul mittendi occasionem ad solius prænominati Regij nostri Commissarij opportunitatem suspendendo, sthomachari desino: Præsertim quòd tuam Famosi Problematis resolutionem de Telluris motu vel quiete, Orbi non frustra exhibitam esse cognouerim. Etenim librum illum tuum simul atque ad me peruenit talem deprehendi, vt statim Fromondum è manibus deposuerim, tuumque peregrinationis meæ per Scaniam hisce diebus canicularibus, quibus hîc à studijs publicis feriamur, comitem fecerim. Interea autem integrum euolui, & ea quæ hactenus per occupationes meas obiter notaui syncero animo nunc refero. Primò autem etsi Te, vt Fromondum sacris monumentis de quiescente Tellure, pariter & geometricis demonstrationibus circa cælestium Reuolutiones, pertinaciter inhærere potuisse viderim: Tamen ingenuitatem tuam laudo, quòd hisce nonnihil diffisus, solas rationes physicas à Natura Telluris ad motum minùs vt ostendis comparata sumpseris. Vbi certè experientia tua è fodinis Hungaricis tecum in Galliam deportata, facilè totam Keplerianam machinationem de vi magnetica Terræ imò toti Cælo perperam ab eo tributa dirimit. Illum vt & nouum istum Philippum Lansbergium Astronomum egregiè quidem meo iudicio expugnans, nundum Copernicum ipsum plenè vicisti. Valde enim verisimile est Corpora illa maiora mundana liberè in suis locis ab optimo Creatore illis destinatis pendentia, ita ab omogeneis suis partibus vndique comprimi ac sustentari, vt hæ ab illis si forte diuulsæ, non aliò aufugiant, aut in centrum Cæli ac Mundi decidant, sed mox rectâ eadem repetant, velut vberiùs de hisce 2. prognorismate Astron. Dan. præfixo *disserui. Ampliùs quod me attinet, non possum quin summis laudibus laborem tuum hunc*

vt cæteros omnes extollam, quo & sacrarum litterarum & imprimis Domini Tychonis nostri assertorem præ omnibus hactenus eximium Te præbueris: saltim modò etiam mihi scrupulum eximas. Qua scilicet ratione in Natura contingere possit, stellas fixas in liquido Cœlo hærentes ita vniformiter hactenus moueri, vt ne minima quidem differentia in distantijs ipsarum ab inuicem à prisco tempore Hipparchi imò Mundi conditi hucvsque sentiatur; licet credibile fuerit easdem disparem à Tellure seu centro Mundi distantiam obtinere. Hæc sola causa mihi fuerat, cur ob dubium hoc ante D. Origanum, videlicet cùm in Huæna nostra Domino Tychoni in astronomicis inseruirem, Telluri potiùs quàm Cœlo stellato motum istum tribuerim, vt in Astron. Dan. pag. 19. & 87. *reperies. Etenim cùm D. Tychonem super hac re consulerem, memini ipsum respondere; minimè id* ἀδύνατον *fore; ob Rachiam seu expansum illud in quo sydera locata sunt.* Genesis 1. v. 14. & sequentibus; *quod quidem licet rei spiritali simile sit, vim tamen validissimam habet corpora illa Mundi penetrandi, obsidendi & fixa illa sydera (vt rotantur) singula in destinatis suis locis sistendi vt quoque 2.* prognorism. Astron. Dan. *ostendi: quod si legas ac diligenter ponderabis, non dubito quin nonnulla Astrologiæ tuæ apprimè inseruitura inibi reperies. Hoc autem cum veteribus qui Cœlum istud firmamentum nuncuparunt concesso, vel meliore ratione fortè à Te producenda, quâ hoc dubium meum (quod Te nundum attigisse percepi) tollatur; Equidem mente mea ab omni motu Telluris imposterum quiescam, siquidem cætera abs Te efficaciter satis aduersus Kepplerum & Copernicanos sunt demonstrata vt superiùs dixi. Vnum autem hîc obiter addo; scilicet non opus videri, extra sphæram fixarum aliam nempe octauam vt vocant astruere, &c.*

Ex quibus patet quàm ingenuè imò lætè pristinam opinionem suam deserat D. Longomõtanus meis rationibus victus, & quæ supersunt illi scrupula amicè exponat, eorumque resolutionem à me quærat: quod certè & pro ipsa veritate & pro mutua inter nos beneuolentia animo lubentissimo aggressus, iamdiu respondi ad ipsum virum celeberrimum, & in epistola à me missa hæc inter alia inuenientur; quæ etiam superiùs dictis contra Iacobum Lansbergium, lucis non parùm allatura sunt.

Mea ad Longomontanum Responsio.

Primùm ergo dicis. *Corpora Mundi maiora in suis locis pendentia, ita ab omogeneis suis partibus comprimuntur & sustentantur, vt hoc ab illis si*

fortè

fortè diuulsa, non aliò aufugiant, aut in centrum Cœli decidant, sed mox rectâ eódem repetant.

At respondetur ex solutione Famosi Problematis *pag.55.* Constare dari in Natura graue & leue absolutè: sunt autem hæ duæ qualitates principia effectiua motus rectilinei, ad medium scilicet & à medio; non cuiusuis corporis, sed ipsius Cœli siue vniuersi *ex pag.116.* Cùm enim grauitas sit per se principium motus naturalis, necesse est vt detur vnus terminus naturalis ad quem illius motus: si enim plures essent tales termini, nulla afferri posset ratio cur grauia potiùs vnum quàm alterum terminum peterent; nisi diceretur vel illa attrahi ab ipso termino, aut aliquo corpore in ipso termino existente: vel illa ferri ad vnionẽ cum suo toto: quæ rationes saltẽ à Telluris globo validissimè fuerũt à nobis explosæ, quod tantùm contra Copernicum eiusque asseclas intendebamus. Hinc verò deducitur planetas in Æthere neque esse graues neque leues; sed naturæ mediæ: quod facit ad vniuersi perfectionem, quæ in omnibus admittere deprehenditur extrema & media. Nam si graues essent, sua grauitate versus Mundi centrum tenderent naturaliter; si leues versus superficiem: siquidem ascensum aut descensum prohibere nequit Ætheris substantia, cùm sit eiusdem naturæ, concistentiæque tenuissimæ; ac liberè patens supra & infra planetam. Præterea planeta grauis violenter in suum apogæum attolleretur, & leuis ad suum perigæum violenter descenderet: At cùm neque sit grauis neque leuis, ita nec eidem attolli aut deprimi violentum est. Motus autem circularis quo Cœlum & planetæ circunferuntur, illis neque est naturalis neque violentus. Non hoc, quia si planetæ carentes grauitate & leuitate non resistunt ex se motui sursum & deorsum, quippe ad apogæum & perigæum: multò minùs resistent circulari: nullus autem est motus violentus sine resistentia mobilis. Non illud, quia Cœlum aut planeta non habet à principio interno, quod moueatur in occasum potiùs quàm in ortum, aut contrà; ergo à principio externo quippe Intelligentia motricé, iuxta Aristotelem & maiorem Theologorum partem: Idque non proprij, sed alterius boni gratiâ, quippe Telluris & hominum. Vnde etiam fit manifestum contra Copernicum, motum circularem non esse corporibus cœlestibus vel vlli corpori formaliter naturalem: Et in Astrologia Galli-

ca oſtendemus, multò naturalius eſſe cuilibet corpori in proprio loco quieſcere, quàm moueri; tantúmque moueri naturaliter, quando poſitum extra proprium locum, fertur ad ipſum motu rectilineo, inſita ſibi grauitate aut leuitate. Iam ergo ſi ex Lunæ globo pars aliqua auelleretur, nec ab Intelligentia moueretur; ipſa ſic auulſa tantùm diurno motu ſeu communi circunferretur cum Æthere ambiente. Ratio eſt quia nec grauitate nec leuitate ferretur ad Lunæ corpus, his enim caret qualitatibus; nec Luna eſt terminus ad quem grauiũ. Quod ſi dicatur Lunæ partes in regione Lunæ neque grauitare neque leuitare, at ſupra ipſam regionem grauitare, infra leuitare; Idque tantum ipſius regionis reſpectu: Ergo idem dicendum erit de partibus Solis in regione Solis, & de partibus Saturni in regione Saturni, &c. At cur Venus grauitabit in regione Martis & leuitabit in regione Solis, ſi eadem ſit Ætheris natura & conciſtentia in vtraque regione, vt negatur à nemine? Præterea certum eſt quod pars illa non trahetur à Lunæ centro, vt à nobis oſtenſum eſt de Telluris centro. Quod ſi tandem dicatur pars illa ferri ad Lunæ corpus tractione magnetica, vel ob vnionem cum toto (quæ in Tellure à nobis ſunt exploſa) quid fiet ſi Luna in duas partes æquales & à ſe diſtantes diuideretur? Nam ſi Tellus in duas æquales & diſtantes diuideretur, ambæ procul dubio in Mundi centro concurrerent, propria cuiuſque grauitate, vt conſtat ex ſolutione problematis *à pag. 116 ad 119*; quæ grauitas nulla eſt in Lunæ partibus ob rationes ſupradictas.

Secundò. Quæris cur ſtellæ fixæ in liquido Cælo hærentes vniformiter moueantur, ſeruata ſemper eadem inter ſe diſtantiâ?

Sed Reſpondetur quod ſublato Telluris motu, fixæ duplici motu feruntur, ſuper diuerſos polos; communi ſcilicet & proprio. Si igitur regio fixarum liquida eſſet (vt ais) etſi virtus illa Tychonica Rachiæ ijs continendis in eadem inter ſe diſtantia, motu communi nonobſtante ſufficeret: Egerent tamen ſingulæ fixæ peculiari Intelligentia pro motu proprio; cùm nullum corpus cœleſte ab interno principio circumferatur vt ſupra dixi. Et inter Intelligentias maxima requireretur aduertentia, ad fixas in eadem inter ſe diſtantia conſeruandas: quod etſi DEO non ſit impoſſibile; breuiùs tamen eſt fixas ipſas in vnico orbe ſolido conſtituere, quem idcirco admittimus, & Galaxia euidenter probat, quæ

etiam ex Te materiâ deffert à reliqua regione fixarum, & perdurat inuariabilis: quod fieri vetaret primus motus rapidissimus, si sphæra illa liquida esset. Adde quod Galaxia liquida, etiam per Intelligentias non paucas, ingenti solertiâ fixarum motu esset circumferenda, ne in sui parte aliquà discontinuaretur, dilataretur, restringeretur, aut rarior densiorue efficeretur. Tandem Kepplerus ipse fateri coactus est, Mundum vniuersum contineri aliquo corpore solido, non secus ac ouum (Mundi Imago præ cæteris genuina) cortice siue testâ propria continetur; & putauit illud corpus esse sphæram fixarum.

Tertiò. Quæris cur supra sphæram fixarum, aliam esse profitear, cùm aliâ opus esse non videatur?

Ad hoc verò me non cogit Astronomia, quæ fictis hypothesibus varijs, diuersimodè affert rationes motuum siue phœnomenon eorumdem: sed cogunt Physica & Astrologia. Physica quidem, Nam sublato Telluris motu, certum est fixas singulis diebus reuolui super Æquatoris polos ab ortu in occasum. Et in annis ex Te 25940 super Eclipticæ polos ab occasu in ortum; fertur ergo sphæra fixarum duobus simul tempore motibus, & ad terminos oppositos. Igitur vnico per se & altero per accidens; nec enim vtroque per se possibile est: motus enim per se fit vel à principio interno (qui in circulari motu à nobis rejicitur) vel à causa externa corpori mobili per se applicata; vtramuis autem causam simul tempore idem corpus mouere ad ortum & occasum, non est magis possibile, quàm idem corpus simul tempore mouere ad centrum & superficiem vniuersi. Cùm autem motus per se, fiat à causa per se corpori mobili applicata; Ergo realis motus per accidens, fiet à causa non per se, sed per intermedium corpus applicata; ex cuius motu per se, alterius corporis motus per accidens consequatur. Id verò aliter concipi nequit, quàm super sphæra fixarum posito altero Cœlo mobili ab ortu in occasum; cuius motus, per accidens communicetur ipsi sphæræ fixarum quatenus in illo contentæ. Datur ergo aliud Cœlum super sphæra fixarum. Atque sic patet D. Paulum verè dixisse, raptum se fuisse vsque ad Tertium Cœlum quippe empyreum: quod Domini nostri IESV CHRISTI eleuatione oculorum in Cœlum quoties Patrem oraret, sed euidentiùs ex eius visibili ascensione, constitutum esse supra Cœlos

naturales conuincitur. De altero autem Cœlo pro motu obliquitatis Eclipticæ, vehementer gauisus sum quod Kepplerus *in Tab. Rudolph.* illum respuat, & æquinoctiorum prosthaphæreses in suis ephemeridibus omittat: Nam longè antea mihi innotuerat, rationes Astrologicas ipsum non admittere: Imò Scheinerus libro de refractionibus cœlestibus, causam apparentis variationis obliquitatis Eclipticæ refert ad Solis refractiones, ante Tychonis tempus neglectas. Quod autem hæ rationes, minimè spernendæ sint ex eo constat; quia inter corpora cœlestia motusque cœlestes, nihil datur in Astrologia superfluum vt ipse nosti. Omnia enim corpora cœlestia eorumque motus, Astrologiæ deseruiunt. At motus obliquitatis Eclipticæ, nullius est vsus aut virtutis Astrologicæ, vt ostendemus in Astrologia gallica: Ergo non datur ille motus superfluus.

Ratio autem Astrologica quod supra sphæram fixarum sit primum mobile, habetur in fine Solutionis nostræ Famosi probl. Lubet autem in Tui gratiam hoc addere. Dum sol versatur sub Aquario (exempli gratia) manat à cœlesti loco Solis in Terram, virtus mixta ex influentijs Solis & Saturni, nec ea de re dubitatur apud Astrologos: At Sol tantùm ex se pollet virtute solari & non saturnina, cui potiùs contrariatur: Neque in Aquario exuit solarem, vt induat saturninam, cùm influxus vtramque contineat. Quod autem Aquarius virtutem saturninam transfundat in Solem, vt hic quoque per illam agat, patet ex eo esse falsum; quoniam solus Aquarius in horoscopo, quouis absente planetâ mores saturninos realiter influit, per suum situm in illo loco; vt Mars in Horoscopo mores martiales; proindeque nullius planetæ præsentia indiget Aquarius, vt per illum agat: Agunt igitur Sol & Aquarius simul commixtis viribus & independenter ab inuicem; non secus ac si essent duo planetæ coniuncti. Cùm autem influxus Aquarij sit realis; Ergo Aquarius erit quid reale. Dices Aquarium esse partem sphæræ fixarum. At quod non ita sit patet, quia vt Sol & reliqui planetæ; ita quoque fixæ & partes sphæræ fixarum mouentur sub dodecatemorijs, atque agunt cum ipsis vt dictum est de sole & Aquario. Quod si dixeris Aquarium esse tantummodo spatium aliquod mundanum, cui ea virtus competit; Rursus negatur. Nam neque est spatium fixum, quandoquidem

ſublato Telluris motu, quodlibet dodecatemoriorum mouetur per totum Mundi ſpatium in 24 horis: Neque eſt ſpatium mobile; nam motus non conuenit ſpatio, eſtque omne ſpatium mundanum immobile. Quod ſi tandem dixeris Aquarium eſſe quandam in Cœlo diſtantiam ſiue ſitum reſpectu punctorum æquinoctij, in quo quidquid intrat ſiue ſit planeta, ſiue pars ſphæræ fixarum, ſaturnaliter influit; ſicut quidquid reſpectu Nati ingreditur ſitum primæ domus agit in ipſum vitaliter: Hoc etiam refellitur; Tum quia ſitus domuales ſunt quædam Mundi ſpatia fixa in quouis Horizonte, quæ non influunt in Natum, ſed tantùm determinant planetas & Cœli partes ſpatia illa ingredientes, ad agendum hoc vel illo modo, iuxta naturam ſitus: Non enim domus prima influit mores vel circa hos; ſed ſigna & planetæ in prima, horumque domini: At dodecatemoria per ſe ſola influunt, vt dictum eſt ſupra. Ergo pro dodecatemoriis aſſignãdum eſt aliquod reale, quod neque ſit ſphæra fixarum, nec mundanum ſpatium, nec diſtantia ab æquinoctiorum punctis: Tum quia vt quæritur & datur ratio non fictitia ſed vera, ex noſtra Cabala domorum in lucem edita, cur prima domus ſit vitæ, &c: ſic quæretur ratio, cur diſtantia, ſpatium vel pars ſphæræ fixarum quæ vocatur Aries, ſit naturæ igneæ & martiæ, &c. Nec ſufficiet pro cauſa afferre motum planetarum ab occaſu in ortum, aut motum rapidiſſimum ſub Æquatore: hæc enim differre nõ faciunt naturam Arietis à natura Libræ: nec tandem proderit poſitio apogæi Solis, in principio Arietis initio Mundi, eiuſque motus ad borealem Cœli plagam: Nam hic etiam motus eſt ab occaſu in ortum, & ſucceſſu temporis tranſiret apogæum Solis in partem Mundi auſtralem; nec idcirco mutarentur naturæ dodecatemoriorum: Ab alio igitur ipſa ratio petenda eſt; quod eſſe primum mobile, ſeu cauſam primam phyſicam hactenus non benè cognitam, naturâ ſua ſimpliciſſimam, ſed initio Mundi ſecundum partes ad diuerſas naturas mirabiliter determinatam, oſtendemus Deo dante in Aſtrologia gallica: vbi huius primi Cœli neceſſitas Phyſica & Aſtrologica ex ſupradictis ſufficienter euidens, ex profeſſo demonſtrabitur.

Iam verò quod nullus ſit Terræ motus (vt pluries ſupra aſſumitur) conſtat ex ſolutione. Probl. Fam. pag. 129. & 130: vbi habetur demonſtratio, quam qui euerterit, dignus erit cui & non mihi

omnes acquiescãt. Et sic habes (Vir Clarissime) solutiones omnium obiectionum à Te propositarum vt proinde nulla Tibi deinceps dubitatio de Telluris quiete debeat superesse.

CAPVT VI.

In quo obiter agitur de libro siue dialogis Galilæi à Galilæo, nouissimè in lucem edito, pro Telluris motus fucata defensione: Deque sanctæ sedis apostolicæ sententia in ipsum librum & Galilæum lata: necnon eiusdem Galilæi publica abiuratione, doctrinæ illius erroneæ.

PRIMVM exemplar mei libri aduersus Terræ motum missum fuit D. Galilæo, illo nequidem integrè impresso; id nempe efflagitantibus charissimo D. Gassendo & D. Deodato, vtrisq; Galilæo necessitudine deuinctis: Vt quia vulgaribus spretis rationibus nouas pro Telluris quiete attuleram, Galilæus illis visis maturè sibi consuleret, ante sui libri publicam editionem, quod ego etiam peroptabam. Tardiùs verò quàm par esset ad illum peruenit mea solutio, indeque doluit vt testatus est litteris ad D. Gassendum postea scriptis mihique ostensis; quibus aiebat quod si ante sui libri editionem meum vidisset, honorificam in ipso fecisset mei mentionem. Mirabatur autem quod Telluris quietem rationibus astrologicis, ipsa Telluris quiete obscurioribus astruendam susciperem; at prudens nec damnans incognita sibi, quæ circa hæc pollicebar in Astrologia Gallica, se auidè expectare dicebat. De meis autem rationibus physicis planè tacuit in illa epistola; & potissimùm de mea demonstratione aduersus præcipuum eius fundamentum pro Telluris motu, petitum à causa fluxus & refluxus Oceani. Siquidem Manuscriptum illud cuius memini pag. 57. meæ Solutionis erat ipsius Galilæi, vt iam quoque patet ex eius dialogis. Idque mihi quidem asseueratum fuerat à viro clarissimo, qui scriptum illud ex Italia adduxerat ipsumque mihi communicauerat; sed Galilæi nomen consultò subticueram, quòd Manuscripto non esset appositum. Galilæi autem libro in lucem edito, ab eoque ad D. Gassendum huc misso, & mihi ostenso, Vidi

multa docta & ſubtilia Galilæi ingenium redolentia : ſed ad Telluris quietem quod attinet, ipſa communibus primò Copernicanorum rationibus, tandemque præcipuè illa demonſtratione fluxus & refluxus Oceani, vt toto Arietis niſu à Galilæo impetitur; quæ omnia in ſolutione noſtra refutantur.

Duobus autem pro Telluris motu rationibus valde inſiſtit, deſumptis à motu grauium, quo maximè premuntur Copernicani. Prima eſt. quod grauia ſurſum proiecta vel genita deorſum moueantur, non quòd centrum affectent; ſed vt ſuo toti, quippe Terræ vel Aquæ vniantur ; quam etiam in ſolutione noſtra validè refutauimus : ſed in Galilæi gratiam hoc addo. Nonne vidit ipſe apud Chymiſtas 4 liquores diuerſæ conciſtentiæ in eodem vaſe contentos, & ab inuicem omnino ſeparatos ; & quomodò violenter commixti deindeque ſuæ naturæ vel inclinationi relicti, rurſus ab inuicem omnino ſeparantur, ſeruato eodem ordine loci, in quo prius erant ratione grauitatis ? Eodem igitur modo ſi omnia elementa à DEO per minima miſcerentur in elementorum vaſe ſiue loco, ipſa inclinationi ſuæ derelicta ſeſe rurſus ab inuicem ſepararent, & Terra vel eius atomi ob denſiorem grauioremque naturam, fundum ſiue centrum regionis elementaris peterent; idque propriæ naturæ ſponte & non vt ſuo toti vnirentur vt palam eſt. Vel ſi ſolum eſſet elementum Aquæ ſine Terra; hæc vero deinde crearetur cum ea cauitatum forma quam iam habet; fieret ex Terra & Aqua idem globus qui iam cernitur & maria eodem modo diſpoſita : quippe Terrâ centrum ſibi debitum occupante, Aquâ autem Telluri circumfuſa.

Secunda ratio eſt. Quod grauia cadendo ſequantur Telluris motum versus ortum, ideoque lapis è ſummitate Turris cadat perpendiculariter in punctum Terræ cui ante caſum ſuperſtabat. Quod autem grauia ſpõte ſequantur Telluris motum, probat Galilæus hac experientia, pluſquàm vigeſies repetita : Quod lapis ab aliquo homine demiſſus in nauem motam à ſummitate mali, cadat in pedem ipſius mali, proindeque perpendiculariter; quare cùm durante caſu lapidis, nauis promoueatur; neceſſariò infertur lapidem ſequi nauis motum : ſic ergo omnia grauia cadendo ſequuntur Telluris motum. Quo etiam argumento vſus eſt Iacobus Lanſbergius.

Ego verò qui rationibus contra ignotas mihi experientias à viris

doctis productas militare non noui; volui hoc idem ipse experiri super Sequana & vidi verum esse quod ait Galilæus tribus experientijs; primâ cum stupore, secundâ cum admiratione, & tertiâ cum risu: causam enim talis effectus illico assecutus sum, ignotam vel dissimulatam Galilæo Lansbergio & cæteris qui de hac experientia pro Telluris motu frustra gloriantur; Et hæc est. Quod motu hominis lapidem tenentis, ipse lapis antrorsum impetatur; & eò longiùs, quò velocior erit nauis motus: vnde nil mirum si lapis antrorsum impulsus cadat in ipsius mali pedem. Quod autem res sic se habeat inde constat euidenter, quia si nauis transiret sub aliquo ponte in cuius concameratione quispiam immotus teneret lapidem, dum alius in summitate mali cõstitutus alterum teneret; amboque homines ex ipsius mali summitate eodemq; momento lapides demitterent: prior lapis non caderet ad pedem mali, sed versus puppin; nimirum ad punctum cui priùs perpendiculariter incumbebat: posterior autem caderet ad pedem mali. Non ergo alia de causâ quàm quia posterior lapis motu hominis à quo tenebatur antrorsum impulsus est. Semper igitur vanæ sunt atque erunt rationes Copernicanorum.

Porrò quàm infaustis syderibus in lucem editus fuerit liber Galilæi, patet ex sententia aduersus ipsum Romæ lata; quâ nimirum re vt par est examini commissa, Doctrina de Telluris motu dicitur in fide erronea & scripturis contraria; liber dialogorum Galilæi prohibetur; Et Galilæus ipse ad publicam sui erroris abiurationem condemnatur. Quam sententiam & abiurationem Romæ factam hîc apposuissemus, nisi ipsius Galilæi viri de Mathematicis & Philosophis benemeriti famæ consulere, satiùs esse duxissemus; Nam & homines sumus. Quod si Hæreticis Galilæi condemnatio minùs arriserit, saltem fateantur oportet, physicas omnes rationes, euidentissima S. scripturæ testimonia, & sacrosanctæ Ecclesiæ catholicæ decisiones SPIRITV SANCTO Præside latas, & hîc & in cæteris, eorum erroribus planè contrariari; pro quibus defendendis ne quidem vllius momenti ratiunculam hactenus attulerũt. Cæterùm Lansbergio citius respondissem, nisi Longitudinum Scientia à me inuenta, Parisijs publicè demonstrata: & iam in lucem edita, me altiùs occupasset.

Soli DEO *honor, virtus & gloria. Amen.*

64131

J39

